


ANTONII LODOVICI

medici Olyßipponensis.

DE OCCVLTIS PROprietatibus, Libri quinque.

Opus præclarissimum.

Olyßippone.

M. D. XL.

PRAEFATIO.

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS, IN LIBROS DE OCCULTIS PROPRIETATIBUS AD LECTOREM.

PRAEFATIO.



Olliciti eramus in opere Problematum, quod iã ad umbilicũ peruenit, libros de occultis proprietatibus edituros esse nos. Ecce igitur tempus uisum est, nè rei nouæ expectatione studiosorum animos diutius tenerem. De hoc opere non oportet plura uerba præfari, uino uendibili non opus est hedera, hoc tantum dixisse liceat, quòd in his libris concinnandis multum adeo à nobis laboratum est, multum operæ collocatum, multi utriusque linguæ auctores euoluendi fuerunt, plurima doctorum uirorũ obscurius dicta enodauimus, plurima rursus ab ijs præclarè inuẽta in hasce commẽtationes mutuati sumus, plurima nos ipsi inuenimus, & multa acutè, facũdè, grauiter, (ni fallor) disseruimus, & tandem omnia in ordinem, & elegantem dispositionem redegimus. Res ardua est, uetustis nouitatem dare, obscuris lucem, obsoletis nitorem, quod sanè in hoc opere præstitisse uideor, inuenire magnificè etiam nũ (ut Plinius inquit) barbari possunt, disponere aptè non nisi eruditis concessum est, nos omnibus quoad licuit gratiam dedimus, atque ut uno dicam uerbo, de huius operis quantum auctoritate tuleris, tantum quoque de nostra existimatione demas. Inter tot nostri ingenij partus (quid enim obstat, quo minus libros quos ipsi edidimus, liberos nostros appellemus?) hanc ego inter alias fœturam ardentius diligere soleo. Cæterũ hoc in loco illud opportunè testari, & profiteri ingenuè possumus, nos neq; hoc, neque quod uis aliud opus propalandi nominis, & gloriolæ inanis studio prodidisse, quantum incredibili auiditate atque desiderio iuuandi rem mortalem, & ut omnibus meo exemplo prodessem, quod utinam ita in omnium aliorum animis insedisset. Gloria (ut inquit Galenus) mortuis nihil prodest, uiuo autem mihi quid commodi ex ea subinde accedere possit, non uideo. Itaque fortiter gloriam contẽno, & nihili facio, quid de me homines loquantur, ipsi uiderint, loquentur tamen, non curæ mihi est, quid de nobis alij sentiant, omnis sapientia à domino deo est, litteræ in tantum bonæ sunt, in quantum cum uirtute cõiunctæ sunt, abundè mihi sat est, si ob res benè gestas, aliunde inuidia non confletur. Sed cum animaduerterem mortales

nos natos eſſe, ingeniumque mediocre ad litteras ſortitus eſſem, omnibus uiribus cõtendendum perpetuo putaui, nẽ ſecundũ eos qui admonent, mortalia ſapere, cũ mortales nati ſimus, humile quid cogitarẽ, ſed inquantũ liceret, uiuerẽ ſemper ſecundũ id quod in nobis ipſis optimũ & præclariſſimũ eſt, hoc autẽ intellectus eſt, & ratio. Nã præclara facies, magnæ diuitiæ, ad hæc uires corporis ingenuæ breui tẽpore cito delabũtur, ut ille inquit, at ingenij præclara facinora ſicuti & aĩa ipſa immortalia ſunt. Cõtemplari primum nobiliſſima entia, deinde recte agere, fœliciſſimum eſt prorſus. Itaq; donec ad hanc peruenimus ætatẽ, multa ſemper litterarũ monumentis mandauimus, & tum has, tum uero alias plæraſque nobiles ingenij commentationes communem dumtaxat utilitatem ſequuti, conſcripſimus, quibus & nomen, & famã immortalem conſequuti ſumus, tum & hanc urbem (quod meo iure citra iniuriam dictum ſit,) tot uoluminibus editis exornauimus. Igitur in his libris quos modo emittimus, talis à nobis obſeruatur ordo. In primo libro proprietatum quæ nam res ſit proprietas, & quòd opus ſit ipſius complexionis declaratur, & multa de temperamentis agimus, & totius operis hypotheſes, & fundamẽta iaciuntur. In ſecũdo de attractrice facultate, & omnibus in quibus ea reperiatur, & quomodo uel unde fiat, & quotuplex ea ſit, ſufficienter exponitur, & quãplurimi prauè ſentientium errores refutantur. In tertio de animalibus, & eorum partibus, & uenenis uenenatiſque omnibus ſigillatim pertractamus. In quarto de proprietatibus, quæ in herbis, & lapidibus, & multis alijs inueniuntur, per partes diſputamus. In quinto quãplurimis perſuaſionibus adductis ſuperiora omnia confirmantur, & tanquã ſuaui quodam epodo concluduntur. Porro omnibus quæ dicentur abrogare fidem non decet. Nãq; (ut etiã Ariſtoteles ait) prudentum dictis, & ſeniorum, & eorum æque qui ſunt experti, nõ minus quàm demonſtrationibus credendum eſt, quia cum oculos ex experientia habeant, facilius principia perſpicere poſſunt. Itaq; tot uigilias boni lector conſulas, & bene ualeas, noſtriſque laboribus fruere.

OLYSSIPPONE.

ANTO.

ANTO.
LODOVICI MEDICI OLYS-
SIPPONENSIS, DE OCCVLTIS PROPRIETATIBVS
Libri quinque.

PROHEMIVM.



SSE QVASDAM IN REBVS ARchanas (quas uocant) proprietates, & ueterum consensus astipulatur, & experientia attestatur. Nam quoscunque effectus in rebus fieri uidemus, quorum manifestam causam uel qualitatem appellare non possumus, hæc ab occulta ui (quam uocant proprietatem) contingere arbitramur. Quippe quòd magneticus lapis ferrum trahat, omnes nouerunt, sed cur hoc faciat, cur in hanc maxime ponderosam & grauẽ materiã, uim suam exerceat dicere non possunt. Pari modo quòd helectrum succinumue, paleas & stipulas ad se cõuellat, oculis spectant, sed quid causentur potissimum non habent. Præterea quòd portulacæ itẽ succus congelationes dentium (quas æmodias appellant) persanet, usu exploratũ est, sed causa latet, & in ambiguo est, nec eiusce rei ulla satis probabilis afferri ratio posse uidetur, cum frigidæ suapte natura sit potestatis, à qua id malum exacerbatum iri consentaneum utique magis uideretur. Medicamemta item dari quædam, quæ naturales euacuent humores, medicorum salutaris opera demonstrat. agaricum enim pituitatem expurgat, scammonium flauam bilem excernit, fidicula atram mouet & expellit, & ueratro furentes Prœti filias sanatas iam olim proditum est. Herbã quoque à se uisam, quæ sanguinem educeret Galenus narrat inuentam casu, à rustico, dum hœdos ex agro super herbulas, ut uentrem deijceret, reponeret. Ad hæc si aquam intercutem patienti medicamentum aliquod exhibeatur, quod aquosa per aluum ducat, inpromptu cõmoditas sequitur, si uero arquato medicaminis quippiã ex ijs detur, quæ sinceram bilem proliciũt, salutare id est, & contra insalubre si alterutris præsidia permutentur. Rursus herbis quibusdam peculiares quasdam inesse uires quæ à cane rabido morsos iuuent, aut eos qui aquã expauescũt, alias quæ comitialibus prosint, accepimus, si pro amuletis (periapta uocant) ad collũ suspendantur. Et multa deniq; esse, quæ ad hunc

uel illum morbum pellendum, mirificam & eximiam uim sortita fuerint, uulgo ferme receptum iam & confessum est. De hijs igitur proprietatibus tractationem facere aggressi diuino inuocato numine, hæc potissimum quoad licuerit, seruato ordine faciemus. Proprietatem non esse futile & inane nomen, ut quidā arbitrantur, sed substantiā quæ uere existat, primo ostendemus, & totius operis hypotheses ueras, & fūdamēta iaciemus. Mox quasdā proprietates, quæ in herbis, fruticibus, metallis, aīalibus, aut eorū partibus reperiūtur, afferemus: nō omittētes interim, si quid aliud à proprietate assignare & arguere possimus, quod eū producat effectū, cū binas interdū aut ternas eiusdē rei haberi causas nil obstet. Postremo inutiles opiniones, & aliorum de ijs dicta expendere non pigebit, cū semel ueritate percepta falsitates deprehendi non sit nimis operosum & arduum.

CAPITVLVM PRIMVM, IN QVO POsitis quibusdā fundamentis tangitur quid sit proprietas.



Vt nobis sermo institutus rite procedat, accipiendum primum est ante omnia, quod crasis hoc est complexio, uel temperamentum in unaquaque particula existens, est causa omnium operationum quæ ab ea producuntur. Quod sic ostēdere possumus. Esse in unoquoque membro quatuor facultates, uel potentias, (sic enim dynames quas uocant, interpretamur) multum manifestum est. Quarum una attrahit quod nutriturum est, alia concoquit. Hijs aliæ duæ famulantur, ex quibus una tandiu retinet alimentum, quoad sit concoctum, altera expellit superfluitates, quæ remanserunt. Has uidere licet cum membrum bene temperatum est, & nec calor immodicus, nec frigus superet, nec humiditas, nec siccitas super excrescant, ut particulæ functiones omnes sibi delegatas obeant. Cum uero uitiosam intemperiem quæpiam harum nacta est, calore, uel frigore, uel siccitate, uel humore ultra modum augescentibus, nulla suum officiū facit, nec attractrix trahit, nec alterat cōcoctrix, nec retentrix apprehendit, nec expultrix excrementa excernit. Quibus unicum præsidium est, ut succurratur, robur adijciendo prædictis facultatibus, & complexionem reducendo ad medium, qua sanata & ad temperiem reducta functiones probè & sine impedimento exercentur. Quippe non ignauam spem concipimus, ut facultatibus ualentibus & integris, membra in actiones prodire egregiè possint. Vnde non actiones læsas morbum esse dicimus, (non enim quispiam has sanare aggreditur) sed affectionem ipsam, quæ impedita & lacessita producit operationes non rectas. Vnum quodq; igitur membrorum in debito sibi temperamento conseruamus, non absolute, sed ut facultates quæ illis insunt à natura, ualeant. Nec hoc simplici-

ter: ſed ut optimè per illas poſſimus operari. Has non immerito medici, Galenum ſecuti, innatas uocitamus: quia ſicut innata uis Herculeo lapidi eſt, ut ferrũ ad ſe conſciſcat: ita & ſingulis membris ab opifice facultates datæ, quibus uitam tuerentur. Sunt autem prædictæ quatuor (quas diximus) neceſſariæ. Sine nutritiõe namque uitam uiuere impoßibile eſt. Facultas autem animalis nõ præſens membro, ſed à principio tanquam radius à ſole in particulam quæ ſentit & mouetur, illabitur. Nec ſolum corpus egregiam temperiem ſuarum facultatum poſtulat, ſi uicturum ſit, ſed etiam hoc anima requirit, quippe quæ in corpore niſi inter certam latitudinem temperato habitare nõ poteſt. Vt enim Galenus tertio de locis affectis, anima uel ipſa craſis, id eſt temperies actiuarum qualitatum eſt, uel ab ipſarum temperatura alteratur: cuius rei Hippocratem citat auctorem, qui in fine ſexti de morbis uulgaribus ita ait. Atrabilioſi comitiales fieri conſueuerunt, ut plurimum: & comitiales atrabilioſi. Horum autem utrumque magis fit, ad utrumlibet utique morbus irrepſerit. Nam ſi quidem in corpus, comitiales: ſi uero in mentem repat, atrabilioſi fiunt. Quo dicto nil aliud ſignat quàm comitiales fieri, cerebro prout eſt membrum organicũ ab obſtructione aliqua, læſo. Dementes autem cum dianœa, id eſt mens ipſa ſcilicet complexio quæ cerebro prout membrum ſimilare ineſt à bile nocetur ſurſum ſubeunte.

Hoc etiam ſatis aperte idem Galenus in libro de theriaca ad Piſonem ſentire uidetur cũ theriacæ laudes extollens, & uires, eam ad ipſam etiam animam conferre refert. Nam ita ſcribit, admirari (inquit) hanc antidotum licet, cum non ſolum corpus dum patitur, ipſam perſanantem conſpiciamus: ſed & etiam ipſam animam ſæpius à morbis male affectam, iuuare potentẽ uidemus. Nam animæ uitia ab atrabile facta ceſſare omnino facit, hoc pharmacum continenter datum. Et rurſus noui (inquit) & theriacam, quòd ad intellectum & acumen animæ non ſit inutilis, ſenſus namque ipſos tum ualidius operari perficit, tum mentem purã à uaporibus aſcendentibus reddens, exactius & ſubtilius ipſam affici facit. Quis etiam non uidet, quod cerebro ultra modum uel calefacto, uel infrigidato, uel quacunque tandem alia ratione paſſo, morte animal rapiatur? anima ſcilicet ad cerebri intemperies recedente. Quod cum ſentiret Galenus: prope in eam ſententiam diſceßit, ut animam eſſe inſeparabilem & corporis ipſum temperamentum opinaretur: ut ex libello quòd animi mores corporis temperaturam ſequantur, liquidò cuiuis apparere poteſt, ubi in hanc ſententiam ſcribit. Cum quis uidere ſe putat, quæ non uidentur, & audire, quæ nullus effatus eſt, & loquitur uel turpia, uel inſana, uel animi ſecreta, non ſolum ſignum eſt perditionis abolitioniſue facultatum, quas habebat anima innatas, ſed etiam contrarias irrepſiſſe demonſtrat. Hoc igitur iam & ſuſpi-

 tionem

tionem magnam adducit, nè non ſit tota animæ ſubſtantia corporea, quo pacto nãq; (quæſo) mihi quiſpiam reſpondeat? à communione corporis in contrariam ſui ipſius naturam anima duceretur, ſi non ſit ipſa, nec qualitas corporis, nec ſpecies, nec paſſio, nec facultas. Hactenus Galenus. Nos uero nihil ad præſens de animæ ſubſtantia diffinimus, preter quam enim quod audacis propoſiti id fuerit, etiam præter operis intentionem, & parergon eſt, pro certiſſimo autem & explorato habemus, à complexione quæ ſingulis membris ineſt, operationes omnes perfici. Ne quis uero aſſerere nos noſtra ſuſpicetur, hæc Galeni auctoritatibus fulcientur, qui mihi maximus appollo eſt. Nec quæſo quis mihi uitio uertat, quod eas afferam prout eius auctoris uerbis enarratæ ſunt: non enim hic tractatus eloquentiam pollicetur. Is itaque, quinto de locis affectis ita ſcribit. Eſt autem communis ſermo, quem dicturus ſum de naturalibus facultatibus, quas in uno quoque membro, quatuor eſſe didiciſtis ſecundum genus: quarum primam attractricem nomino familiarium ad nutritionem humorum membro, quæ eadem & appetit, & ad ſe conuellit. Conſequenter uero deinceps poſt ipſam alteratiuam attractorum, per quã attractus ſuccus ſimilatur membro quod nutritur, & huius ſunt aliæ deſeruientes duæ, retentrix quidem cum concoquit, ut attractum humorem in ſui ipſius naturam membrum alteret. expultrix autem cum poſt coctionem excernit inutile quod ſuperfluitas uocatur. Has facultates in uno quoque membro patienti ſemper contemplari admoneo, quantum uirium uel imbecillitatis habeant, ut circa epar: quando quidem de hoc dicere propoſitum eſt, attractrix facultas quando patitur, alimoniã in uentre relinquit incremorem conuerſam, ut excernãtur per ſedem exacte quidem cocta, ſed tamen liquida, & ab humore non exhauſta, erit autem hoc uobis ſignum ipſius facultatis cum paſſa eſt. Nam quæcunque ab aliquibus ut cauſis fiunt, hæc eadem ipſorum ſunt ſigna. Et rurſum inferius de hac re apertius loquitur dicẽs. Alias alia facultas in ſingulis organis robuſtior & ualẽtior uel imbecillior fit ad operationes relatione habita, & ſic in notionem ipſarum peruenientibus nobis. Nempe reuera tota ſemper particula operatur ſecundum proprietatem complexionis quæ ipſi ineſt: ſed aliquando tamen ſuſtinet quamuis grauetur, & lõgo tempore ſuperior euaſit & facta eſt, concoquens & alterans & ſubigens, quod nocet. interdum autem uel qualitatem uel multitudinem nocentis, & noxam inferentis non ferens, ad excretionem impetum facit: ſicut nonnunq̃ rurſus licet magnopere infeſtata, & excutere quod nocet appetens, præ imbecillitate non poteſt: ut quæ in ultimam inualentiam & remiſſionem conciderit. Ex quibus ſatis conſtare arbitror, quod coctiones & ſignificationes à complexione fiant: & quod tam attractionis nu

trimenti,

trimenti, quam alterationis & reliquarum facultatum opus, à temperamento membrorum peragatur. Sexto item de locis affectis causam inquirens cur coles, id est membrum genitale in coitibus tenderetur, in neruum concauum cui innata ea uirtus sit, ut statis uicibus quoties itares postulet, turgeat, & spiritu impleatur, non autem in arterias quæ non hoc munus peculiare magis, eo in loco q̃ in reliquo corpore haberent, referendum id esse statuit. Quo loco inter cætera & hoc etiam addit. Multo inquit melius est nerui hoc munus esse dicere, non arteriarum, si quidem operationes ex propria substantia membrorum non ex positione fieri rationi consentaneum est. Et eandem operationem cor, & epar, & lien, & cætera omnia haberent, q̃uis alio in loco ponerentur. Vbi non conniuentibus oculis animaduertendum est, quod à propria substantia, id est temperatura fieri actiones dixit. hæc satis esse poterant. Sed nos aliam eius uiri in libro de theriaca ad Pisonem auctoritatem adijciamus: ubi ita scribit. Quãdo namque natura ualenter se habet, tunc & uenter sine impedimento alimonias conficit, & uenæ facile in sanguinem probum conuertũt, & iecur prompte bilem secernit & separat, & cor purum suscipiens sanguinem, & qui iam nutrire possit, toti deinceps corpori demandat. In iecoris præterea carnositate sanguificationes fiunt, in uentre coctiones, pulmones aerem inspiratum subigunt, ut fiat spiritus uitalis, lien sanguinis crassitudinem atram bilem uincit & trahit, renes serosum humorem concoquũt, uesica fellis bilẽ ad se pellicit, quæ cuncta propter diuersas carniũ ideas cõtingũt quæ ijs uisceribus insunt: à quibus propter uariã & innatã tẽperiẽ perficiuntur. Quæ omnia usq; ad unguiũ resegmina (ut aiũt) doctissimus Galenus in pulcherrimis cõmentarijs de usu partium corporis humani executus est. Quam tractationem, laterem huc transferẽs, si latius singula explicarem. sed dicta tantum attulisse ad præsens sufficiat, quibus satis abunde liquere arbitror, quod à principio propositum est? Hoc idem quod mores animi, corporis temperaturas sequantur, dilucidis uerbis in libro de substantia naturalium facultatum, idem Galenus sine ullis ambagibus, uerbis satis significantibus pronunciat. De anima (inquit) si cũ sit immortalis: substantijs corporalibus immixta, animalia gubernet, certo me hoc cognoscere non profiteor: sicut nec si aliqua secundũ se ipsã animæ substantia sit, liquido dicere & pronunciare possem: illud tamen manifestum mihi oppido apparet: quod et si in corporibus commoretur, ipsorum naturis seruiat, quæ ex tali ut dixi elementorum mixtione sunt factæ.

CAPITVLVM SECVNDVM, IN quo quid sit complexio agitur.

Hæc



HAEc igitur complexio: de qua uerba facimus, ut quidam uolunt, est quædam qualitas quæ ex qualitatibus elemẽtorum ad minima diuisorum, ita ut quæque pars unius: quãcunq; partem alterius contingat, insurgit. Sed ut uerior & potior Galeni sententia determinat, nihil aliud complexionẽ, quam essentiam et substãtiam ipsius rei esse dicendum est, ut apparet ex eiusdem auctoris uerbis: quæ primo de usu partium scribuntur, ubi ita ait. Vt nobis sermo methodo procedat: omnia quæ corporibus adsunt, diuidamus. Existunt autem propriè & maximè crases, id est complexiones. hæ namq; propriam substantiam particularum complent. Eò namq;, quod calore, & frigore, & humiditate, & siccitate, tali quodam modo se habet corpus: propterea tale quid natura existit. Nam quòd caro sit caro, & neruus ut sit neruus, & singula aliorum hoc ipsum quod sunt, propter dictarum quattuor qualitatũ talem quampiam mixturam & complexum, factum id est. Hæc igitur ipsis secundum substantiæ rationem adsunt. Et mox ita subdit. Cum itaque quis omnium quæ organis insunt utilitates, ratione experiri & explorare contendat: primum quidem inuestiget, quid nam sit illud quod propter operationem sortitum est: quod ut plurimum propriam esse partis substantiam inueniet. Substantia nunc ab eo dicta complexio est: ex qua oĩs operatio procedit. Ex quibus manifestè liquet nihil absurdũ nec iniurium nos facere: si complexionem substantiam nuncupemus. Quippe id esse, cuiusque substantiam dicimus, per quam res habet esse: qua mediante res subsistit, & functiones sibi debitas exercet. hoc autem complexio est, hac namq; uel male affecta, uel in intemperiem uersa, nihil membrum, uel particula agere potest: sed in operationibus impeditur. His positis nihil uidere obscurum est, quo pacto complexio substantia sit, & cur operationes quæ à proprietate fiunt, à tota substantia procedere dicantur. quod dictu aliud non est: quàm quòd à complexione prodeunt quæ propria & tota substantia cuiuscunque rei nominatur.

CAPITVLVM TERTIVM, IN QVO agitur quòd quot sunt corporis particulæ, tot sint substantiæ diuersæ, & complexiones, & quòd unaquæque pars temperiem & complexionem habet sibi propriam.

Diximus



Iximus superius complexionē ipsam esse substantiam: nunc in praesentiarum hoc latius & fusius explicandum, & uarijs alijsque accersitis Galeni testimonijs, perinde ac si res apud iudicem praescriptis uerbis agatur, res haec animis infundenda & persuadenda est, nè leuibus argumentis in hanc descendisse opinionem credamur. Aduertendum igitur est quòd triplicem, ut inquit Aristoteles secundo de partibus animalium, in nobis compositionem considerare possumus. Primo nãque corpus nostrum ex organicis membris componitur. Organicum uoco, quod in partes dissimiles ad sensum diuidi potest: ut in ossa, carnes, neruos, uenas, & caetera. Secundo organica ex similaribus constant: tales autem sunt quae in partes dissimilium rationum diuidi non posse uidentur: ut sunt chartilago, membranae, nerui, ossa, & alia id genus. Tertio similares partes elementis primariam generationē debent. Atq; cū haec cūcta ita habeāt, hinc bono sanè periculo asseuerare licet: quòd totidē sunt alteratrices facultates & complexiones, quot sunt numero particulae similares: & quòd nulla cum alia similis est, sed quaelibet habet substantiam sibi propriam. Nã & membra & partes corporis humani, non alio modo quam per alterationem generantur: & uariae alterationes sint oportet, quarum idem terminus non est: & ex quibus idem, non eodem modo generatur. Porro elementa nunq; ad constitutionē particularum similarium eodem modo concurrunt, nec eodē excessu, nec eisdem quãtitatibus, & quod nunc inferius est, mox superius euasit: & quod uiribus nunc superat, post modum minus apparuit: alternisque alia & superant, & superantur. In hoc ignis dominatur, in alio aeris uincit elementum, in alio maior telluris est portio, & in alio magis humoris fusio abundat. Et horum in quibus unius alicuius dominiũ est, innumera est differentia: nam magis & minus infinitam latitudinem habēt, nec binas dumtaxat partes reperias, in quibus elementorum congeries eodem modo cōueniat. Propterea igitur particularum nullam aliquam, alteri mutuo similem, sed singulas proprietatem substantiae habere quandam qua ab alijs differant, opinari longe sanum est, ut pote quae ex dissimilibus nimium elementorum cōmixtionibus procreantur. Rursus cum operationes ipsas complexiones sequantur, non esse confusas sed distinctas singularum partium functiones reputare debemus. Atque hac quidem in parte nobis uiua uoce Galenus suffragatur, primo de naturalibus facultatibus dum ait. Quaecunque ex organis, ex duabus tunicis constituta sunt, non similibus quidem ad inuicem, utraq; tamen simplici, horum ipsae tunicae sunt elementa, perinde ac uētris, stomachi, & intestinorum, & arteriarum, & in utrisq; arteriarũ alteratrix facultas peculiaris est, quae ex mensibus maternis particulam generauit:

nit: ita ut alterantes facultates particulares tot sint in singulis generibus animalium, quotcunq; habuerit particulas elemētarias: sed & actiões particulares singulis particulis secūdū partes existere næcesse est prorsus, ut sūt diuersæ utilitates uniuscuiusq; membri, ut in his meatibus conspicuum est, qui à renibus ad uesicam perueniunt, qui & uretéres uocātur, hi nāq; neq; arteriæ sunt, quia nō pulsant, nec ex duabus tunicis facti fuerunt, nec uenæ quoniam nec sanguinem continent, nec secundum quid, eorum tunica illi quam habet uena, similatur, & multò magis nerui non sunt, quia ab ijs longè magis recedunt. Quid igitur (dicet aliquis) sunt? Perinde ac si næcessariū esset, ut omnis particula, uel arteria, uel uena, uel neruus existeret, aut saltem ex ijs esset contexta, & non potius hoc sit uerum quod dicimus, quòd priuata peculiaris ue singulis particularum, instrumentorum substantia est. Et subdit. Particulares autem alterantes facultates, & ipsam substātiam tunicarum uentris, & intestinorum, & uterorum qualis est cōstituerunt. Quòd autem complexio substantia sit, & unum cum altero in proposito conuertatur, eiusdem Galeni oraculis possumus doceri: qui tertio de temperamentis in hanc scribit sentētiam. Quattuor dicimus esse totius corporis facultates proprias, unam attractricem eorū quæ sunt familiaria, aliam eorūdem retentricem, & tertiam alteratricem, & quartam ad hæc excretricem alienorum. Sunt autem eædem ipsæ facultates totius substantiæ singulorū corporum, quam ex calido, & frigido, & humido, & sicco temperatam esse aßerimus. Quando autem secundum unam quampiā qualitatē earū quæ in substantia sunt, corpus alterauerit, præsidiū quod illi applicatur, non tum secundum totam ipsum substātiam operari suspicandum est, nec similari poße quod permutatur, unde nec unquā nutriuerit, quod sic permutatum est: si uero illud permutauerit hoc est secundum totam ipsius substantiam fuerit operatum, hactenus ipsum sibi aßimilabit, & nutrietur ab eo quod fuerit permutatum, nec enim aliud nutritio est quàm omnimoda similatio. Et rursus ita ait. Singula animalia proprijs alimentis nutriuntur, propria autem & familiaris singulis alimonia est, quodcunq; corpori nutriendo aßimilari potest. Oportet igitur totam substantiam nutrientis, uniuersæ substantiæ nutriti, natura quandam communionem & similitudinem possidere. Et iterum in eodē uolumine sic inquit, cum de deleterijs loqueretur. Horum omnium natura maximè contraria hominibus est, totam substantiam & crasem hoc est temperaturam intelligo, quæ ex primis elementis calido scilicet, & frigido, & humido, & sicco constitit. Et pòst quædam rursus ita ait. Totus hic sermo ex uno principio pendet, quod propterea semper seruare & meminiße oportet, quòd unumquodq; corpus proprietatē quandam substantiæ poßedit: quæ huic quidem naturæ familiaris est, illi alteri

alteri uero contraria: & quòd si alterauerit, quod familiare est, in propriam naturam, hoc pacto substantiam caliditatis quæ in eo fuerit, subinde auxerit. Sunt aliæ & multum sanè illustres Galeni auctoritates, quas tum nè fastidij periculum urgeat, tum nè quis nos nimios & morosos in re plus satis nota appellet, recensere super uacuum est.

CAPVT. IIII. IN QVO BREVITER quid sit proprietas ostenditur.



POstq; superiori narratione omnem actionem à complexione procedere demonstrauimus, nũc consequenti ordine & peroportuno, quæ nã res sit proprietas, de qua toties à summis ingenijs est disceptatum, ostẽdamus. Quoniã igitur (ut mox diximus) omnis actio à complexione & temperamento prodit, & manifestum insuper sit, quòd id quod à proprietate operari dicitur, aliquid agat: cõsentaneum utique & conuenientissimum est dicere, proprietatem nihil aliud esse, quam complexionis effectum: hoc est uel complexionem ipsam potentẽ hoc uel illud efficere, uel id ipsum quod ab ea producitur: proprietas nempe in relatione ad aliud est, & rationẽ habet, ut ad aliquid referatur. Nã quæ per se absolute nominatur complexio, cũ ad opus quod facere res nata est refertur: iam tum proprietatis nomine incipit uocari. Verbigratia. Iaspis fluxum sanguineum per sedem sistit, napellus interficit, torpedo mortificat, & alia ab alijs fiunt: complexiones earum rerum proprietates nuncupãtur, merito, in quantum ea omnia agere possunt. Denique quæcunque à proprietate fiunt, à temperamentis hoc est complexionibus (quas crases Græci uocant) fiunt, si non à qualitatibus manifestis. Nec magis in admiratione numerandum est, quòd magnes attrahat ferrum, quàm quòd quæcunque particula corporis, per duras arteriarum tunicas trahat, & apponat sibi nutrimenta. Nec amplius quispiam suspicere debet, quòd epithymus atrã bilem, granum gnidium pituitam per uentrem ducat, quòd struthiocamelus ferrum conficiat: quàm quòd uentriculus cibos conficit, epar id est iecur sanguinem faciat, adenes saliuam, cor iugi & perpetuo motu cietur, pes ambulat, manus apprehendit, cerebrum spiritus animales futuros animæ instrumentum fabricat: & alia uniuersa naturæ opera: quorum nullum utique fieret, si mẽbrum non esset ea temperie & complexione donatum, quam à principio adeptũ est.

CAPVT V. NON ESSE EXPLORandas proprietates ratione aliqua aut methodo.

Cum


Vm proprietates (ut retro diximus) tẽperaturas ipsas cõsequãtur, cum temperamenta ex uarijs elementorum mixtionibus in singulis rerum generibus oriantur: liquido hinc constat, non esse methodo, aut ratione aliqua proprietates, & peculiares entium uires, inquirendas. Nam sicut uarios mixturarum modos, quibus concurrunt elementa ad productionem formarum & complexionum, dicere non possumus: ita nec pronuntiare à priori & per causam fas est: tales uel diuersas rebus proprietates inesse, quas propter, hos potius quam illos effectus operentur. Sed sicut ex cineribus in focario conspectis, & æschara, in ignium noticiam producimur, & peperisse aliquam arguimus, quòd eam lac habere in mammillis conspicimus: ita à posteriori in proprietatum cognitionem peruenimus, ut qui lunæ deliquium uident, terræ interpositum recognoscunt. Vt uidit quis ab scammonia bilem flauam educi, idque non semel, sed uice una & altera, inde tali eam ui præditam esse argumentatus est, quòd nisi prius periculum fecisset, uana & temeraria pronunciatio esset. Hinc non temere ab inuentis recedendum esse admonemur, quæ antiqui diuturna obseruatione comprobarunt: quoniam in ancipiti disquisitio est, & nullus modus, nulla uia restat, qua nixi minimè in adinuentione hallucinemur, & longo annorum temporumque spatio sanè opus est, ante quã unam quampiam proprietatem alicui rei inesse, euidentibus & claris indicijs innotescat. Proinde iã notis acquiescere multũ operæprecium est. Nõ debere item ratione quapiam proprietates explorari, cũ plurimis in locis, tum sexto de simplicium medicamentorum facultatibus Galenus satis apertè contestatur, dum ait. Facultates quæ in calefaciendo, uel infrigidando, uel humectando, uel disiccando consistunt, per methodos, quas sæpe dixi, inuenimus, quæcunque autem per proprietatem totius substantiæ perficiuntur, sola experientia deprehendimus.

CAPVT VI. IN QVO RVRSVS PROprietates non esse ratione inquirendas docetur.


Roprietates non discursu, non ratione, non coniectura aliqua artificiosa, sed experimento & usu, & frequenti, & assidua, & diligenti in ipsis rebus conuersatione deprehẽdere oportet. Fieri enim subinde non potest, ut eum qui in ijs ipsis sese animumque exercuerit, & iudicium de ipsis ceperit, quidquã lateat eorum quæ ad cognoscendam substantiam pertinent: sed enim si quis ceperit de rebus frequentarium experimẽtũ, is de eorum facultatibus & effectu, certior in primis reddetur: & quid facere possit, quid non possit, non ambiguis inditijs consequetur. Nãque ut pulcherrime

rime Galenus ait secundo de compositionibus medicamentorũ Katà tópous. Quædam proprietates, aliæ quidem indicibiles, aliæ difficulter dicibiles circa corpora morbo affecta cõtingunt: quas soli ij qui sæpius conspexerunt, cognoscunt. Quo circa præclarum & optimum consilium est, ut cum multis & quãplurimis adhibitis remedijs, alicui languenti membro, utilitatem non sentimus, ad alia noua & alia denuo transeamus, & experiri nitamur: quæ tamen sint eisdem qualitatibus prædita. Contingit enim sæpicule: ut propter proprietatem quandam, & substantiæ affinitatem, à quibusdam remedijs, membra quædam, & quidam homines, exploratam commoditatem sentiant, quam non percipiunt ab alijs quæ similes qualitates obtinẽt: quia illa substantiæ amicitia desit, & destituantur. Qua propter monet Paulus, ut in doloribus podagricis uaria & diuersa præsidia usurpemus, & subinde permutemus remedia: interdum enim nocent quæ sæpius profuerunt: & quæ primo adhibita utilitatem dederunt, eadem in alio tempore officiunt, & nocent. Est quippe mirabile quo pacto in podagris quæ olim utilia adhibuisti, modo noxia experiaris, cum ita frequenti usu ueniat, ut diuersis articulis affectis, idem præsidium eodem in tempore admotum, ijs quidem ex usu & re sit, illis maximopere obsit: & quod mirabilius est, idem sæpicule articulus non semper eodem modo afficitur ab eisdem medicamentis: sed modo iuuatur, modo rursus damnũ percipit. Sed docta de hac re Pauli uerba accipe, capite de podagra, sic dicentis. In totum in quibus causa inmanifesta est, oportet facere translationem, interdum quidem ad specifica, interdum uero ad contraria præsidia: ita quòd non perpetuo in ijsdem immoremur, si dolor non sedatur. Hæc enim quotidie in ipsis artis operibus euenire cernimus, ut unum & idem præsidium hunc quidem articulum iuuerit, sed alium articulum consimili modo in eodem ægro affectum inflammatiõe, non modo in eadem hora nõ iuuerit, ut etiam interim nocuerit, & quod dignum admiratione est, unus & idem ipse articulus multoties ab eodem præsidio nunc quidem iuuatus est, modico autem interiecto spatio, inflammatione laborauit. Debemus itaque crases & tẽperaturas (quæ omnia ex ipsis functionibus optimè percipiemus) dare operã ut consequamur: quod fiet, si usum, discẽdi & omniũ artiũ magistrum, nos quoque quorum maximè interest, nõ dispitiamus. Nam ꝙ ait Hippocrates, omnia secundum rationem facientibus, si non accidant quæ sunt secundum rationem, non transire ad aliud, manentibus quæ uisa sunt à principio: ita accipiendum est, quòd non sit transeundum ad àlia quæ sint toto genere cõtraria: cum hoc tamen operæprecium est: ut cæteris non conducẽtibus, alia quæ cõsimiles qualitates, cum illis quibus sumus usi, habeant: experiamur: quia plus interdum conformatio medicamẽti ad læsam particulã, quam ipsa cõspicua qualitas prodest.

CAPVT.

CAPVT SEPTIMVM, OSTENDIT quid per potentiam accipi debet.


E nominum ambiguitas quempiam decipiat, hoc imprimis annotare uisum est: quòd nos per uirtutem, uel facultatem, uel potentiam unum & idem intelligi uolumus: quod dynamin Græci appellant. Porro nomen potentiæ ut Galenus in commentario de substantia naturalium facultatum asserit, ex dignitate quadam (quod axioma dicunt) quæ ex se amplam fidem prebet, impositum est. Nam cum nihil temere & sine auctore fieri, satis homines persuasum haberent, & quædam tamen perfici uiderent, sed qualisnam sit ea substantia, quæ hoc uel illud opus moliretur, ignorarẽt, ab eo quòd possit facere quæ facit, potentiã nuncuparunt. Porro & hoc quoque sciendum quòd potentiam uel proprietatem nominare nihil interdum intersit, cũ frequentissimus sit, apud auctores hic utendi modus: ut si dicas scãmonium potentiã purgatiuam habere, & mespilum talem potentiam sortitum esse qua corroborat & astringit aluum: perinde est ac si diceres, illa tali proprietate esse prædita quæ hæc munera obire possint.

CAPVT OCTAVVM, QVOD POtentiæ naturales cum cognitione non agant.


Vm dixerimus naturales quidẽ facultates quod familiare est trahere, reijcere uero quod alienum est, quia posset hinc quispiam suboriri error putantibus eas cum cognitione agere, perinde ac si non poßint prauum ab utili discernere, si non cognoscant: illis hoc in loco occurrendum est: & dicendum, quòd de naturalibus facultatibus, quæ tam in nobis quàm in plantis adsunt, & de animalibus, sensus cognitio, nõ eodem, sed æquiuoco dicitur modo. Non enim plantæ uident, nec audiunt, nec sapores dignoscunt, nec percipiunt odores, nec sensibiles distingunt qualitates, nec sensu qui est ex seipsis, mouentur, quod animantium nationi accidit: sed sensum duntaxat iucũdorum & tristium habent, & quorũcũq; quæ inferunt mœrorem, quod solum sufficere abunde arbitramur, ut peculiaria conciscant, nocua uero & extranea repellant. Vnde Galenus Platonem summopere laudat, tum quòd plantas animalia uocauerit, tum quòd eas suauium & non suauium cognitionem habere dixerit, quæ namque nutrire poßint, trahunt, & alterant, & in succum commodum conuertunt, & tandem in propriam substantiam aßimilant: quæ autem sunt totis qualitatibus contraria & nocentia excernũt, & à se longè remouẽt. At quæ Zoóphyta, Græci uocant, hoc est quæ animalium, & plantarum mediam naturam habẽt, hæc

talia etiam sensu tactus sunt prædita: ut ostrea, & spongiæ & animalia affixa petris: si pungantur enim in se retrahuntur, & quæ in alimento sint grata, quæ ingrata præclarius quàm plantæ dignoscere ualent.

CAPITVLVM NONVM, quòd res quæ mediante complexione agunt, etiam interdum qualitates aliquas manifestas sibi asciscunt.



Ed nè quærendi locum legentibus relinquamus, nè fortè quis substantiam semper se sola mediante complexione quam sortita est, sufficere arbitretur: hac quoque in parte sciendum, quòd res singulæ quibus insunt proprietates, quamuis à se, & innata substantiæ ratione hoc habeant, ut tale quidpiã producant, quale producere possunt: quasdam tamen interdum sibi manifestas qualitates cõcernunt, à quibus ad melius perficiendum suum opus adiuuantur. Hoc liquidò in facultatibus, quibus corporis nostri gubernatio perficitur, cõspicere, & cernere possumus: concoctricem dico, & attractricem, & expultricem, & retentricem: quæ licet secundum substantiæ rationem im membris reperiantur, à qualitatibus nihilominus actiuis iuuamentum magnum sentiunt, & suscipiũt: ut calor quidem concoctiones, & attractiones iuuat, siccitate melius retinetur, humore elegantius quidquid expellitur, & tamen nec coctio, nec retentio, nec attractio, nec excretio, humido, uel sicco, uel frigido, uel calido perficitur. Probat hoc struthiocamelus auis Lybica, quæ ferrũ uẽtriculo acceptum concoquit, quod uix tamen ignis emollire potest, multo calentior. Leo etiã hoc animanti longè calidior ferrum concoquere non potest: ut Alexãder Aphrodiseus in problematis tradit. Iam uero quod dicimus in cocco Gnidio et gneco, hoc est croci hortensis semine perspicuum esse inquit Galenus, quorum utrũque licet pituitam trahere poßit, ualentius tamen hoc granum Gnidium facit, quia impensius calet, ut tertio de simplicium medicamentorum facultatibus his uerbis scriptum est. Inuenies namque (inquit) si consideraueris tecum ipse: etiam in ipsis medicamentis, substantias multorũ genere differentiũ, atq; in hoc solũ granũ Gnidiũ à gneco differre, quòd multo calore participet, namq; quòd substantijs similia sint, inter se, etiã oculis & tactu discere, & persuaderi possis: utrũq; etiã pituitatẽ naturæ sponte ducere aptum est. Ostensum quippe in cõmentarijs naturalium facultatum est,

quòd familiaritate qualitatum, quæ in substantijs sunt, attractiones perficiuntur. admixta tamen est caloris non exigua portio grano Gnidio, atque in hoc tantum à gneco differre. Idem Galenus exponens illud Hippocratis prima sectione aphorismorum. In acutis passionibus raro & in principijs, medicinis purgantibus uti, ubi morbi acuti fuerint, abstinendum esse (quoad possimus) purgatorijs medicamentis admonet, nè calorem febris augeamus. Omnia namque (inquit) purgatoria medicamenta calida sunt facultate prædita: cum febris quà febris est, non adeo calefacientibus & desiccantibus egeat, sed frigidis & humectantibus: quæ sunt ex diametro contraria. Et tamen non quia caleant, sed quia talem substantiam obtinuerunt, purgatio medicamentorum agitur. Quippe ut Paulus AEgineta libro septimo inquit, si simplici aliqua complexione, ut pote caliditate, purgantes medicinæ uacuarent, & non totius substantiæ proprietate, quēadmodum à magnete ferrum trahitur: oporteret, quòd quæcunque calerent, ut piper purgandi facultate pollerent, quod non contingit. Asserunt præterea non nulli casiam cuius in purgationibus usus est, si eius dosis augeatur, quòd humorem biliosum uacuabit, quamuis id antea non ageret. Ex quo manifestè cōsequitur, quòd rei proprietas non sub quacunque quantitate agit, sed magis sub maiori. Nec repugnat quod aiunt quidam, theriacam quantum fabæ AEgyptiæ magnitudine sumptā quotidie prodesse sanis: ut nec pestilens aer nec uenena noceant: quòd cor sua proprietate confirmet, & nihil suo calore lædat ob exiguam quantitatem. Hæc eadem namque tā pauca posset exhiberi, quòd nihil iuuaret: & ut ipsi etiā fateren-tur, melius maiori pondere proprietatem exerceret. Magnes item & helectrum ante confricantur, ut excita calore attrahere elegantius possint: ut inde liquidum sit: non nihil qualitates manifestas conducere, ut proprietas ocyus ostendatur.

CAPVT DECIMVM,

quòd à proprietatibus multa fieri, quæ à qualitatibus manifestis non ageretur, dicere sit opus.



Vòd actiones non semper qualitates manifestas consequātur, sed interdum à proprietatibus fiant, quæ mox ipsis temperaturis succedūt, hoc est (ut apertius dicam) ipsarū cōplexionū sunt opera ut docui, illud euidentissimum argumentum affert, quòd multa à multis fieri uidemus: quæ non adeo nullo modo agerent, quin magis contraria, si qualitatibus, & non potius totius substantiæ, id est cōplexiōis proprieta-

te

te niterentur. Nam magnes ut omnibus manifestum est: ferrum ad se trahit, & si quis eo utatur medicamento, attractricis facultatis reperiet, & tamen in frigidorum serie collocatur, à quibus nullus attractionem sequi docuit. Eodem modo coriandrũ soporiferum cum sit, inflammationes quæ iam perfrixerunt, discutit, & resoluit, & tamen ijs quæ immodicè calẽt, digerendi hoc est munus cõcessũ. Discutit igitur hoc, illi ferrum pro libito paret, non quatenus sunt frigida, sed quatenus ex tota substantia, hoc est complexione operantur. Item pyrethrum (ut plurimi uolunt) sentiendi omnem facultatem adimit membris, quod frigorifica medicamenta, & quæ stuporem inducere possunt, committere consueuerunt, & tamen in quarto ordine calidorum reponitur. Theriaca ad hæc, si quis ea modicè, & maximè per tempus non multum calidum utatur, etsi calefaciat, maiore tamen utilitate afficit, proprietate inducta artubus, qua uenenorum & pestilentis aeris infectioni resistitur. Ad hæc multi altercum, (quam hyoscyamũ Græci uocant) sumentes quæ frigidissima est, tanto incendio tenẽtur, ut insanientium more clamare compellantur.

CAPVT VNDECIMVM, IN quo ostendit cur illæ quatuor facultates quæ in singulis membris adsunt, innatæ esse dicantur.



Nunc rursus repetentes dicamus, non solum facultatem qua mẽbra sibi trahunt alimenta, sed & qua retinent, & qua illud in propriã utilitatem conuertunt, & qua postquàm concoxerunt, expellunt quod superfluum relictum est, particulis ex propriæ substantiæ ratione omnibus inhærere. Præter uero prædictas quatuor facultates sunt quædam membra, quæ & sensum, & motum secundum electionem habent, qui à cerebro tanꝙ̃ à fonte quodam per neruos, ceu quosdam riuos deriuatur. Et priores quidem Galenus, & quicũque secuti sunt, naturales, & innatas appellare consueuerunt, quòd particulis innascantur, nec aliunde fluant, sed ex propria singulorum complexione, & elementorum mutua commixtione, à principio membris condonentur. unde eas ad custodiam & uitam animalium tuendam natura in commune exposuit, nec doctore opus habent, ut particularum functiones doceãtur, uel ut naturalibus illarum actionibus utantur: sed (ut inquit) Hippocrates naturæ animalium sunt indoctæ, eo quòd nullo docente per se ipsas percipere possint, quid persequendum, quidue fugiendum sit. Atque non immerito idem auctor animantiũ naturas hautodidáctous, id est per se doctas appellare plærisq; in locis solitus est.

nec enim quisquam animalia usum particularum docuit, sed mox ut sunt nata, ad quod unum quodque organorum subinde factum est, natura magistra didicerunt. Porrò secundas uirtutes, & influentes, & animales uocant, quòd animæ imperio pareant, & aliunde à principio profluant in particulas, quæ uel sensu egent, uel motu quem præcedit electio, cientur. Et primas assimiles esse quidem actioni magnetis in ferrum Galenus inquit, ꝙ tam sint naturales & insitæ membris, quàm est naturale, ut ad magnetē lapidē ferrū moueatur. Secūdas uero Solaris luminis splēdori cōparat, qui tandiu radiat, quādiu Sol supra finientē fertur. Ita quippe in tantum membra sentiunt, & mouētur, in q̄tū à superiori principio influxum suscipiūt: & in ea spiritus: omnium functionū instrumenta demittuntur. Verum enimuero nè in re tanta Galeni prætermittamus elogium, sed totum hoc ex eius uoce perinde ac ex quodam oraculo exponamus, itaque primo de locis affectis sub calcem libri ita scribit, & multo (inquit) in hoc differunt inter se naturalia instrumenta ab animalibus, si quidem naturalibus innata actionis facultas demonstrata est, in animalia uero organa à principio influere diximus, perinde ac lumen solare. Quemadmodū igitur magnetis lapis in se facultatem habet, qua ferrum conuellit, ita & naturalium organorum unum quodque se habet. Vnde si permanens & constans eorum substantia esset, nec uenis nec arterijs utique indigerent, sed quoniam & nutriri indigent, & commoderationem seruare innati caloris, propterea & arteriarum & uenarum beneficio opus habuerunt. Musculi uero quātum ad hoc ut eorum sustantia conseruetur, non minus quā naturalia organa arteriarum, & uenarum operam requirunt. Quoniam autē cōnatum sensus & motus principium non habent, propterea neruis semper eguerunt, à quibus hæc suppeditentur, perinde ac Sol lumen tribuere solet, omnibus rebus quas illustrat. Vnde solis ijs dūtaxat particulis, quæ sentiūt & mouētur, peculiare hoc accidit: quòd nihil interdum ipsis læsis, nihil minus tamen actio intereat, quod nunq̄ naturalibus instrumentis contingere consueuit, sed priusquam in eis actio lædatur, ipsa primum patiuntur. Quin & omnibus animalibus organis naturalis functio inhæret, & uenarum, & arteriarum præsidio indigent, ut eorum substātia incolumis seruetur, quā ob rem considerare te maximè opus est, quæ nā ut aīalibus, quæ uero ut naturalibus instrumētis accidūt, & hæc accuratè distīguere, ut uerbi gratia ꝙ alterētur (ut ita ponamus) ab ijs quæ applicētur ipsis īquātū naturalia, ꝙ uero alterationē sentiāt, quatinus animalia sūt. Nā ita & in oculis passim euenire cernitur, ascēdētes etenim à uentre quicūq; halitus, ipsos alterāt, nō tamē oēs tā paruā alterationē sentiunt, nisi sensibilē facultatē exactā habeant, uoco autē exactā quæ & minutissima uidere possit. Ex dictis igitur quot sint facultates inhærētes mēbro,

bro, & cur innatæ dicantur liquidò perceptum arbitror.

CAPVT XII. QVOD CVM EXIGVA quantitate agere possunt, quæ à proprietate totius substantiæ agunt.



Voniã tota substãtia proprietas agit, quæ nunq̃ seipsam quãdiu est, deserere potest, hinc fit ut minima quãtitate agãt, & ĩdigeãt, quæ à proprietate operãtur, quod tũ Paulo, tũ admirãdo Galeno uidetur: qui salubribus medicamẽtis (antidótos uocãt) quæ aduersũ uenena, & uenenatorũ ictus subscripserũt, ita utẽdũ cõsulũt, ut qui dũtaxat præcauere uolũt, ne eis uenenũ quodpiã noceat, minimũ quid de alexipharmaco aßumãt quòd uel parua mole sufficiẽter suũ opus quod per totã substãtiã ei adest, exerceat. Qui autẽ uenenũ lœtaleue poculũ ingesserunt, uel uirus eructantiũ animaliũ morsum sunt experti, ij quadruplũ, aut quĩtuplũ eius, quod si sani essent, præcepissent, accipiãt, ut ualidè & tãq̃ per certamen, initũ malum maiori cumulo excludatur, & expugnetur. Atque hanc rem Paulus AEgineta libro quinto ijs uerbis explicat, nõ eãdem uim (inquit) antidoti habent, si ante mortifera uenena accipiãtur, uel postponãtur. Nam quæ ex ijs quantitas sufficiẽs est, si præsumatur, ut nihil pati quis à uenenis poßit, hæc in quadruplo, uel quintuplo inaucta ad bibendum si propinetur, utilitatem affert, & non semel dũtaxat perdiem, sed bis, ita enim ille admirandus Galenus arbitratur.

CAPVT XIII. IN QVO QVATVOR illas facultates omnibus membris tributas in uentriculo esse demonstrat.



Ostq̃ diximus quatuor adeße facultates oĩbus mẽbris næceßariò q̃bus propriã cõstitutionẽ seruarẽt, nũc age dũ eas oẽs in uẽtriculo ineße cõmemoremus, is enĩ attractiua facultate tũc utitur, cũ cibos ex ore p œsophagũ gulãue ceu per quẽdã canalem trahit, deinde postq̃ attraxit epulas, eas pertinaciter nimis retinet, & amplectitur, & undiq̃ illis circũplicatur, & adiũgitur, ijs aũt retẽtis alteratio eorũ (quã cõcoctionẽ dicũt) consequitur. ubi uero cõcoctio & ciborũ alteratio facta est, expultrix uis locũ habet, ut quæ à cõcoctiõe remãserũt, superfluitates expellat. Quòd autẽ oĩbus ijs quatuor facultatibus prædictis, uẽtriculus utatur, hinc persuaderi poßumus. Ex duabus tunicis uẽtriculus cõstat, quarũ altera (quæ interior, etiã neruosa est) ex fibris ĩ lõgitudinẽ porrectis intertexitur, reliqua fibras in latũ & secũdũ lõgitudinẽ procedẽtes habet. Omne autẽ mẽbrũ secũdũ sitũ & positurã fibrarũ moueri cõstat. Ergo dũ fibræ obliquæ cõtẽdũtur, lõgitudo quidẽ uẽtris euadit maior, sed latitudo abbreuiatur, & rursus quãdo directas fibras attrahi, & cõuelli cõtingit, amplitudo uẽtris accrescit, lõgitudo aũt magis curta redditur. Duplex hoc fibrarũ genus in uẽtriculo institutũ est, ut per re

ctas attraheret, per obliquas aũt trãsuersasue retineret, quod in trãsglutiõe euenire cernitur. Nã cũ quippiã deuoramus, larinx siue guttur, sursũ (ut uidemus) attrahitur. Est enim ea tunica quæ intus uentriculũ oblinit, & induit, nõ solũ ipsi uẽtriculo, sed & œsophago, & oris partibus, & laringi huic communis, & propterea cum cibus deuoratur, quia œsophagi magnitudo per quẽ ceu per quẽdam pontem uentriculus traijcit alimoniã: breuior efficitur, larinx propter continuitatẽ tanquã funiculis quibusdã retractus sursum recurrit, & ascendit. Simul ac uero uẽter attractionẽ remisit, & cibus deuoratus est, in locũ proprium atq; naturalẽ reuertitur. Hæc igitur cum fieri manifestè appareãt, uẽtriculo attrahente escas deuorari conspicuò demõstrant. Nã eorũ assertionem qui cibos præmissos sua grauitate descẽdere, nõ autẽ attractos arbitrantur, uel illud apertè redarguit, quòd plæraq; animantiũ quibus oblongũ collũ est, obstipo & inclinato capite prona herbã depascãt, quã (quum suaptè spontè sit grauis) nunq; in tantam insaniã (opinor) deueniẽt, ut descensuram fuiße in imum uentrẽ dicerẽt, nisi attraheretur. Illud itẽ nõ omiserim quod ab Aristotele in libris de animaliũ historia, & à Galeno in cõmentarijs facultatũ naturalium traditum est. esse pisces quosdã tanta ingluuie, & cupediarum cupiditate auida præstãtes, ut sunt (quos & chánnas & synodóntas, id est hiatulas & dẽtatos Græci appellãt) ut sæpius cũ pisciculos minores persequãtur, propter incredibilem famen & se explẽdi deuorandiq; appetẽtiam uẽtriculus in ijs ad ora cucurrisse conspiciatur. Nam quẽadmodũ lurcones, & belluones solẽt, ut graue ducãt, si expectẽt, quoad cibus ori admoueatur. sed caput ad manum inclinent, ut deuorent, quod iam antea inhiantibus oculis deuorauerãt. Et ueluti ipsi interdũ factitamus, quoties aliquid accipiendũ est, nõ solum manus admouemus, sed & nos ipsos propiores facimus, & totũ corpus impellimus, ita illorũ piscium uentriculus longas oẽs existimans moras, cũ iã impotẽti desiderio & uoracitate teneãtur, nõ sustinẽs si sensim per gulã cibus ducatur, ad os festina agitatiõe properat, atq; procedit. Eueniũt autẽ hæc ijs magis: qui præter quàm quòd natura sunt uoraciores, oris largã capacitatẽ habent, & canalẽ qui à uẽtriculo ad os deducitur, angustũ & breuẽ, quẽ œsophagum dicunt. Expultrix facultas in uentriculo ex uomitibus: & ea affectione (quã cholera Græci nominant) manifestißima est. Nã quoties quid uẽtriculum uellicat, & sua acritudine mordet, in eius cauo cõtentũ, uel intra tunicas adhærens, uentriculus, ad expellẽdũ, & effutiendum quod nocuit irritatur. sed si uẽtriculi hostiũ & oscillũ (quod stomachũ appellare cõsueuerũt, sensuq; acutißimo pollet) sit ualidũ, per imam aluũ magis deijcere excrementa properat. sed si imbecillus sit, & fundus imaque eius magis ualeãt, per uomitiones expellit, illud quo aluus grauatur. Iam uero

quòd

quòd retineat cibos uenter, præter hoc quòd ad sensum apparet, etiam ex eo liquidò cognoscitur, quòd multi liquidi cibi potusque diutius interdum in uentre (in tantum scilicet quoad concoquerentur) retineantur, qui nisi uentriculus apprimè clausus fuisset, & accuratè inferior meatus obsignatus: (quà uia ciborum est, postquam digesti sunt) facillimè effluxissent, contra autem ubi iam concoctio peracta est, uel grauis aliqua corruptio facta, tantum relaxatur, & molem dimittit, & fundus stomachi hiat, & portitor tantum claustra aperit, ut illac uel nuclei fructuum integri, uel annuli nonnunquam (ut contingit) deuorati, subire & concedere possint. Porro alteratio ciborum à uentre: in his qui ob iocinoris imbecillitatem cōcoctos cibos attrahere nō potuerunt: oculis comprehendi datur. Quippe excrementa in ijs alba & succosa (chylòde Græci uocant) & ptissanæ in consistētia similia apparent, ut uel cæcus intueatur: ingentem fecisse permutationem ciborum uentrem in alienam substantiam. Hæc de uentriculo.

CAPVT XIIII. QVOD HVMORES generantur in nobis per conuersionem totius substantiæ, non autem in cibis contineantur.



On deffuerunt quidam qui nō generari in nobis humores asseuerarent, sed in cibis contineri quos assumimus, contendant, atque ij nos impunè criminantur: perinde quasi de humorū genitu nō rectè sentiamus: nos enim dicimus haberi alteratricem quandam in membris facultatem, quæ epulas ingestas in alienam omnino substantiam: & speciem diuersam transformet: ipsi uero (perinde ac Anaxagoras qui homiomerias, id est similares quasdam partes commentabatur) non gigni cum antea nō essent, sed immixtos esse in ipsis epulis humores aiunt, & inquibusdam plus de bile, in alijs minus cōtineri, in alijs uero magis de pituita adesse, & non æquā in omnibus humorum portionem distributam, qui tamen ubi quis eis cibis probè se muniuerit, ui uentris & uenarum, & iocinoris, exprimentium discernantur. eos talia dicētes numquid impunè abire patiemur? nequaquam, dignissimi enim sunt qui reprehendātur, mel namque quibusdam in bilem conuertitur, & dulcissimum ad sensum apparet, & tamen si uera isti narrarent, non adeo dulce nobis, sed amarissimum oporteret, ut gustantibus uideretur. Ad hæc si quis melle per hiemem saturetur, nequaquam læditur, æstate uero in bilem transit, & rursus iuuenis mellis gustato dulcore amarorem percipit: senex uero & pituitosus nihil tale sentit. & tandem si ætatibus, temperaturis, & regionibus frigidis mel exhibeatur, non lædet, in calidis autem multum nocebit. Hæc cum uiris rei medicæ peritis manifestam fidem faciant: conspicuò ostendūt,

dunt, quòd non secum & ex domo (ut quis dixerit) epulæ humores afferunt: quippe næcesse eßet: ut ex eisdem par semper humoris portio gigneretur. Sed cum eisdem epulis aßumptis: in alijs maior huius humoris quantitas generetur, in quibusdã illius: hinc manifestum est, quòd dapes nõ innatantes humores habeant, sed in eosdem ui caloris innati transmutentur, qui cum imbecillior est factus: multum pituitatum generat: cum autem ualentior est, plus de bileo humore producere est natus.

CAPVT XV. QVOD VIRTVS ALteratrix nutrimenti nõ solũ in uentriculo, sed etiã in oĩbus particulis insit.



Hec uero fugiat: quòd cum alteratricem ciborum facultatem in uẽtriculo eße dicimus: non ita accipiat quis: quasi aliqua talis peculiaris uirtus sit uentri tributa, quæ reliquis membris non adsit: sed sicut omnia membra omnes iam dictas quatuor facultates habent, ita ijs omnibus uentriculus prææditus est, & ita alterat alimenta: sicut singula membra transmutant, quod ea aliturum est. Conficit itaque alimẽtum: non ut alijs membris distribuat, sic enim animal rationabile esset, & prouidũ eorum quæ ad corporis usum pertinent: sed propterea cibos cõcoquit: ut ijs concoctis quod optimum est in suas tunicas reponat. Contingit autem ut postq̃ ipse est saturatus, meliori succo in dapibus cõtento: reliquũ futurum oneri abijciat, quod rursus à reliquis particulis & uenis quæ sunt post epar libentißime attrahitur, si careant alimento, atque in hac sententia diuinum Galenum fuisse conspicio, libro tertio de naturalibus facultatibus: ubi ita ait. Omne mẽbrum perinde ac uenter appetit, & alitur, & circum alimoniam undique complicatur, & ita ex omni parte ipsam constringit, & complectitur ritu uentris. Ex hoc autem ut cibi cõcoquantur, næcessum est: q̃uis uenter non in hoc constringatur, ut apta nutrire alijs membris alimenta præparet: sic enim non iam naturale instrumentũ esset, sed animal quoddam fieret, quod & rationem haberet: ut eligere quod est melius, poßit. Sed ipse quidem constringitur, eò q̃ in toto corpore facultates quædam sint datæ: quibus attrahant & fruantur proprijs qualitatibus. Contingit autem hoc tempore cibis: ut alterentur. Vnde & cum uenter satiatus, & ciborum cremore repletus, de cetero ponderi sibi futuros ipsos existimat, quare quod superfluum est, mox excernit & impellit deorsum, atque ad aliud opus scilicet ut conglutinet sibi alimoniam conuertitur. Nec aliena sunt quæ à Galeno libro de motionibus dubijs in hanc sententiam scribuntur. Putabit (inquit) quispiam quòd unumquodq; mẽbrum proprio cõmodo & refectioni consulat: hoc autem non solum rectè, & sufficienter dicitur, sed etiam uerum est: dicere autem q̃ particula quæpiam alterius utilitati deseruiat, ex propria intentione, me-

tas modumque naturæ transcendit: hoc enim nè dum in omnibus hominibus non reperitur: tantum abest, ut in iumentis ratione carentibus inueniatur: sed consentaneum magis rationi est, ut dicatur, quod singulæ particulæ attrahunt, quod sibi familiare est, ut ex eo nutriantur: deinde uero postquam attraxerunt, immutant, & retinent, & in propriam similitudinem substantiæ conuertunt: & tandem quod alienum est ab se expellunt. Ergo longè abesse debet, ut quisquam opinetur, quòd uentriculus conficiat cibos ut eos alijs impartiat: hoc enim animali ratione prædito, & utenti cõuenit. Nec uero epar sanguinem in aliorum gratiam facit, sed ut ipsum nutriatur. Ad eum modum nec cor perpetuis motibus cietur, ut alijs membris prospiciat, sed ut sibi temperet calorem: quo facto uniuersam corporis caliditatem fieri tẽperatam sequitur.

CAPVT XVI. IN QVO DISPVTA, utrũ res qubus proprietates insũt, in tẽpore nec nè sua munia peragãt.



Actenus in eo laboratum est: ut ostenderemus, quæ nam res esset proprietas: nunc utrum in tempore agat nec nè, considerandum est. Pro cuius intelligentia tanquam notissimum quoddam principiũ assumemus, quòd res quæ totis substantijs operantur, ea quæ per se & primò illis adsunt, eo ipso quod sunt, operari possunt, quæ uero per accidens quippiam agunt, ea ut res sequatur effectum, tempore indigent. Exempla huic rei congruentia ex Sole accipere liquido habemus. Hic enim quãuis illuminet & calefaciat, non tamen eodem modo utrumque agit, sed primaria ratione luminis orbem diffundit, ex accidenti autem calorem producere potest. Vnde primã actionem subitò sol agit, nõ tamen momento calefacit, atque ita quàm primum Sol supra finitorem exortus est, mox nullo temporis dispendio percepto: occidens oppositus radiorũ fulgore præstringitur. Quòd si successiuè aliquãdo lumẽ produci uideatur, id ea ratione euenit, uel quia impedimẽtum subitæ luminis productioni obstat, uel quia successione id quod multiplicat lumen, applicatur: quod si subitò appelleretur, etiam in nõ tempore lumen spargeretur: & si fenestra momento aperiretur, momẽto almum solis iubar intraret, & domum omnem illustraret. Ergo ut ad rem redeam, quoniam res quæ à proprietate agunt, se ipsis, & non mediante quopiam alio agunt, dicere propterea næcessarium est, quod tempore nõ indigent ad agendũ, sed momento exercere uim suam queunt, & simul ac ad actiua passiua currunt, & unum alteri coniungitur, proinde quòd inter iustum spatium à se inuicem disparantur & absunt. Nec uero probẽ dũtaxat dicuntur ista, experientia autem cõtraria est, sed & dictis rei periculũ mirificè faciet, atque in magnete etiam res hæc conspicua est, non enim rapi ad eum ferrũ uidemus, sed raptũ prius, quàm rapuisse cernimus. Nõ

secus

ſecus (opinor) arbuſculam creuiſſe nō creſcere cognoſcimus, & notamus. Quia uero (ut inquit Oppianus Cylix poeta) imperitorum hominū mens inexpugnabilis eſt, nec uolunt rebus quãuis ueris conſentiri, & credere, ideo cordi mihi eſt unum aliud hoc loco addere, ex intima philoſophiæ ſchola depromptum, quod mirabilius uideri poſsit: quód omnis forma ſubitò quantum eſt ex parte ſui introduci nata eſt, ſi nihil impedimento feratur: unde ſi artifices materiam aptam inuenirēt, mox nihil aliud agentes: ſine tempore artis formam introducerent, quia uero indiſpoſita & inepta ut plurimum eſſe ſolet materia ad ſuſceptionem formarum, in tantum circa eam opifices negotiantur, dolantes & fabrefacientes, & materiam expolientes, ut ineptitudinem omnem materiæ quæ obſtabat, cōmutent in melius, poſtq̃ autem impedimenta ſublata ſunt, & materiam idoneam fecerunt, ipſi artis ſpeciem è ueſtigio ſine temporis iactura introducunt. Nec uero ego ſolus iſta cōminiſcor, ut opinionum nouitate legentium aures demulceam: ſed & Proclus luculentus, & præclari nominis philoſophus hoc idem apertè teſtatur ijs uerbis, artifices (inquit) indigent ad operationem inſtrumentis: quia non ſuper omnem materiam obtinent: atque hoc manifeſtū faciūt, quoniam non niſi ut materiam bene habilem reddant, opera inſtrumentorum utantur. & propterea torno expoliūt, & uel terebra foraminant, uel radunt: quæ omnia tandem: poſt cuncta rite peracta, ſpeciem producendi potentiam nō habēt, ſed ineptitudinem materiæ: quæ ſpeciem ſuſceptura eſt: adimunt. ipſa uero ſpeciei ratio ſine tempore ſubiecto aduenit: artis beneficio omnibus impedimentis ſublatis: q̃ ſi nullos à principio obices habuiſſent: ſpeciem ſanè affatim materiæ indidiſſent & organis haud quaq̃ indiguiſſent. Hæc ait Proclus ſecundo cōmentariorum in Thimæum, ex quibus apertè uiri ſententia inſinuatur. Quoniam autem nōnulli ita argumētari ſolent infinitæ uirtutis eſſe quodcunq̃ in infinito breui tempore agat, nec ſatis intelligere poſſunt: quomodo quidpiam ab agente limitato: momento geratur, nos illos partim uera dicere: ex dimidio autem mētiri doceamus. In quibuſcūque nãq̃ agētibus reſiſtentia opponitur, ea, ut tempore agant: eſt næceſſe. quia à finita proportione agunt: quam ſubitò uincere nō eſt: at uero quæ ſine obſtamine agunt, ut in oculi ictu (quód aiunt) & in non tempore agant, nihil prohibet: ita Sol ſubitò irradiat, quia nihil luminis productioni reſiſtit, & impedimento eſt: & ſi lapis in ſublunari cōuexo poneretur: momento caderet in terras ſi nihil obſtare, & obuiam illi fieri intelligatur: nã nunc aer deſcenſum retardat, ut Ariſtoteles in phyſicalibus monſtrat. His rectè cōſideratis reputari difficile nō debet: q̃ res in quibus inſunt proprietates, mometario producere poſsint, & exercere uim innatam: cū priuati quoq̃ opifices ſubitò ſpeciem inducant, dūtaxat operam omnem, & tēpus in diſponenda

materia

materia impendant. Eodem modo cum elemẽtum ex elemẽto transmutatur, & unum in aliud cõuertitur, elementi forma subitò, uel depellitur, uel generatur, quãuis dispositiones præcedentes profectu temporis creentur, uel corrumpantur: nec alio modo in mixti interitu, uel genitu contingit: sed forma quidem mox accedit, uel aboletur, simul ac dispositio qua in materia species conseruatur, auolat, uel adhibetur.

CAPVT XVII. IN QVO SVPERiora confirmantur.



On debet admirari quispiam cum dixerimus: quòd res quæ à proprietate substantiæ quidpiam efficiunt, eo ipso quòd sunt, agãt. aut quòd ipsas rerum temperaturas peculiares confestim proprietates cõsequãtur. Hæc (inquam) cum audimus: nec admirari, nec ambigere debemus, sed intellectu omnia collustremus, & mentis oculos per singula circunferamus, & nobiscum diligenter consideremus, ut cũ cuncta fuerimus conspicati, & mirabiles ubique naturæ effectus contemplati, facilè ad minora credẽda accedamus. Nos igitur hoc in loco id potissimum laborabimus, ut ea exempla & tradimẽta doceamus (tanquam psychagógias & introductiones quasdam) quibus cognitis promptius: minore cum negocio de proprietatum operibus munijsque persuaderi possimus. Nanque & si ea de quibus dicturus sũ, minimè aut parũ ad propositum opus pertineant, hoc tamen ex ijs emolumentum consequemur: ut nihil admirari, & moueri discamus, nec arduum quid aut impossibile ducamus. Qui enim unũ nouit, plura autem nõ cognoscit, facilè de omnibus ambigere potest, sed mente expeditiores facti, fœliciores quodãmodo simus, & rectius de uniuersa rerũ natura philosophemur, quo (nescio) an quidpiam in humanis, maius homini contingere possit, quippe (ut Flaccus ait): Nihil admirari properes est una Numiti, Solaque quæ possit facere & seruare beatos. Quòd igitur animo perterrefieri nõ debeamus: cũ proprietatũ opera audimus quãuis quãplurima sint, quæ mentis caliginẽ discutiant, & intelligere nos faciant, nihil esse impossibile dũtaxat quod à rerum natura perpetretur, nescio ego sanè, an sint alia ad hanc mystagogiam initiationemue (quã quæ modo referã) aptiora. Quòd igitur singulæ res mediantibus proprijs substantijs tẽperamentisue agãt, quòdque hoc proprietatis opus uocitamus, iam diximus, atque hoc sæpius iterumque à nobis repetitum est, nec est cur hoc ita fieri diffiteamur, fiunt alia utique multa impunè & passim, quæ multo sunt maiora. Nam quo pacto dignum admiratione non sit? quòd mentis imaginatio sola tantam uim habeat, ut manifestis qualitatibus corpora apertè afficere cernatur, dũtaxat quòd quippiam animo cõcipimus. Puduit enim aliquem: & mox rubore suffusus est genas, simulac turpitu

dinis

dinis cogitationem suscepit. Rursus alius considerans quæ forent timenda: hoc solo pallidus & exanguis euasit. Sunt etiam quidam dæmones, nobisque superiores mentes quæ solo uoluntatis impulsu (ut inquit Proclus) quid quid uelint: efficiãt, de quibus ita inquit. theologos etiam audire est, quòd sint quædam, & nobis meliores potestates, quæ imaginationibus efficacibus utantur, quæ simulac fiant, mox quæcũq; uoluerint efficiant, & quòd illuminationes operentur, & quasdam diuinas figuras ostendant, quæ proprijs ipsarum motionibus, eadem alijs extrinsecùs qui hæc intueri possint, uisa repræsentent. Iam uero quòd fascino multi præstringantur, præsertim pueri, & quòd plerique efascinentur, nullus non nouit, sed inter omnes fermè cõuenit: cur uero id fiat, pauci omnino recti quippiam tradidiße uidentur. Sed uerior tamen eorum sententia est, qui ita arbitrantur: quòd cum aliquis aduersus quempiam, odium & inuidiam concepit, ad fortem existimationem toto corpore afficiantur, ut sanguis, & spiritus, & calor alterentur, à quibus putridi quidam halitus, & uapores exhalent, & ascendant, qui per oculorum lumina, ad id quòd effascinatur, defferantur, tales uero potissimum infantes sunt, qui ob id quòd tenerã ætatẽ agũt, ad patiendum nimium utique sunt apti. Ad hæc ut Galenus refert dũtaxat quòd pulchri imaginem eleganter depictam fœmina intuita sit, pulchrum infantem in utero concepit. Galeni uerba ita habent. Mihi etiam quidam uetus sermo insinuauit, quòd quidam ex deformibus, cum potens esset, cuperetque formosum filium gignere, in latiori ligni spatio alium speciosum puerum depingendum curauit, mulierique mãdauit, cum illa congressurus, ut in illam effigiẽ, & similitudinem imaginis: oculos intenderet, quæ cum attentè ad picturam respiceret, & ut quis dixerit, totam in eam mentem positam haberet, non similem parenti natum, sed descripto in tabula produxit, quòd usus (ut arbitror) naturæ, non autem molibus quibusdam descripti illius exemplaris notas speciesue transmitteret. Ergo cum animorum partialium phantasiæ existimationesue tantam uim habeant, ut hæc efficiant. Cum ipsa sola (inquam) existimatio per solam ipsius actionem multos affectus atque passiones circa corpus operetur, & apertè conspicuoq; uideamus alterari corpora eo dũtaxat quòd quæpiam cogitatio animum incessit. Si fascinantis imaginatio tantum potest, ut totum habitum corporis eius qui fascinat, immutet. unde is qui fascino oculoue inuritur, alteretur. Cum dæmonum cogitationes quid quid cupiant, efficere sit compertum. Cum denique formosi pueri inspectio ut pulcher fœtus concipiatur, multum adeo ualere non dubitetur. Non est profectò quòd sursum atque deorsum magis negociemur (quod aiunt) super ijs quæ à totis substantijs elementorum mutuo contemperatis, & in unã formam redactis producuntur. Quinimo ipsa rerũ temperamen

ta mirãdos effectus facere, & miras proprietates sortiri, magis sanè uero cõsentaneũ est, nec minorem illa admirationem merentur.

CAPVT XVIII. IN QVO PONITVR epilogus primi libri.



On erit alienũ ut in ultima huius libri parte obiter & perfunctoriè, ut qui cursu sibi lampada tradunt, recenseamus: quæ hactenus in superioribus præstrinximus, ut uno ictu & momẽto oculi (quod aiunt) peruideri poßit, quid nos cũ Galeno sentiamus. Ergo ostensum à nobis est, complexionem eam rem esse, quæ tota substantia dicatur, ad hæc quòd ab ea omnes functiones peragãtur, quòd proprietas sit ipsius complexionis, uel temperaturæ effectus, propterea quæ à proprietate fiunt, translatitium esse, ut à tota substantia fieri dicantur, quoniam à rei complexione prodeãt, quæ tota substantia nuncupetur, addidimus haud secus lotium à uesica trahi, bilem à folliculo huic colligendæ destinato pellici, alimoniam à membris conuelli, quàm à sideritide lapide ferrea massa ducatur, & tandem omnia naturæ munera propter proprietatem, & substantiæ temperaturam fieri, quam à principio membra sortita fuerunt, quia easdem temperaturas ijdem effectus consequantur: diuersas uero contrarij, ita quòd si duabus contingat particulis, ut eadẽ temperie & substantiæ idẽtitate polleant, eas ut idem efficere poßint: prorsus utique næcesse est. Et si nerui eãdẽ substantiam cum cerebro haberent, non setius quàm cerebrum principium sentiendi & mouendi poßiderent. In cerebro enim cudi spũs animales, in corde fabricari uitales, in pulmonis carne subigi aerem inspiratum, quo animalia uescũtur, ut fiat materia spiritus uitalis, iecoris carnem uim sanguinis procreandi habere, propter substantiarum ideas proprietatesue, quas si alia membra obtinerent, non dubiũ est, quin ea facultate, & eisdem uiribus quibus illa, prædita censerentur, quæ omnia eò tendunt, ut cuncta naturæ munia à complexione quæ est tota substantia, quæ nostrũ corpus quatuor facultatibus (de quibus latè prosecuti sumus) dispensat, & ceu quibusdam temonibus & gubernaculis regit, edi & produci ostendantur. quod adeo manifestum factũ reliquimus, ut nullus, uel Leberide cæcior quidquam super ea re ad dubitare poßit. sed tamen ceu colophonem quendam ultimo auctoritatem Galeni ad cæteras quas attulimus: quo res sit clarior, apponamus. nam cum septimo de placitis Hippocratis & Platonis de neruis sermonem Galenus ageret, de ijs hunc fermè in modum determinat. quòd nerui in tantum à cerebri substantia differant, quòd cerebrum quidem sit mollius: nerui autem sint compactiores, ut qui cerebro inspissato & duriore facto in talem consistentiã coaluerint, quod si nerui (inquit) eandem hoc est

æquê

æque mollem substantiam cerebro habere potuissent, fieret utiq; ut easdem proprietates haberent, quia substantiarum identitates easdem quoque habent uirtutum proprietates. Vnde nec cõtinuo, & prepete defluxu facultatis sẽsibilis, & motricis eguissent, quia sicut cerebrum propter substantiæ proprietatem sensus & motus principium est, ita & neruos si æquè molles constitissent, à se ipsis eædem facultates sequerentur, nunc uero cerebri continente defluxione indigent, quia non æquè flexiles & molles, sed dissimilis substantiæ euaserunt. Hæc eo in loco Galenus recitat, quæ pulchrè cum iam dictis concordare uidentur, quòd scilicet proprietates: rerum substantias comitentur.

CAPVT XIX. DE DIFFERENtia attractionis quæ fit à proprietate, & eius quæ fit à uacuo.



Voniam uero geminas esse attrahendi rationes principales cõspicuum multum est, unam cũ à proprietate quippiam trahitur, alteram cum consequio ad id quod euacuatur, res succedit. Sciendum est quòd magna in utrisque differentia, & latum discrimen est, nam in attractione quæ à proprietate fit, non quacunque distantia à se inuicem abesse debent trahens, & id quod trahitur, sed mediocre esse spacium næcesse est, nec magnes quocũq; positũ ferrũ traheret, nisi modicis distet interuallis. At ubi ut inane euitetur, aliquid cõuellitur, uel ex longissima distantia quidpiam sequi atque cõcedere nihil prohibet. ut si cannã lõgissimã in aquã mittas, oreq; sugas internum aerem, per totam capacitatem aqua conscendet, ut locum abeuntis aeris repleat. Eodem modo (ut Oppianus ait) piscatorum pueri anguillas capiũt. Nam ouis intestinum oblongum & indita arundine tensum in mare (cum in littoribus ludunt) demittunt: cuius auiditate illectæ anguillæ accedunt, pueri autem aerem sugendo conuellunt, unde anguillarum ora exiccantur, & intestino adhærescunt: propter aerem qui extractus est, ut cum per syringas fistulasue: & angustos tubulos aere attracto ex dolio, uinum extrahitur. Sic in nauibus hydragóga machinamenta faciunt, ad aquam ducendam accommoda, quibus ex alto sentina omnis nauium exhauritur, & expurgatur. Est alia differentia quia in attractione quæ fit nè inane sequatur, leuissimum primo trahitur, deinde quod est grauius, at in ea quæ à proprietate substantiæ perficitur, ut grauissimum interdum ante omnia præ cæteris trahatur, nihil obstat. His peractis quoniam hic liber iam ad umbilicum peruenisse uidetur, finem huic primo imponamus. In sequenti autem de attractrice facultate, & de omnibus in quibus ea reperitur agemus, quoniã uel maximè in ijs proprietatũ munia dillucescunt.

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS LIBER SECVNDVS DE OCCVLTIS PROPRIETATIBVS.

PROHOEMIVM.



VM MVLTA ET VARIA sint ex quibus proprietates rebus ineſſe euidenter oſtendãtur, nullum rerum genus ad illas demonſtrãdas æquè efficaciſſimũ eſt, ut ſunt illa in quibus attractrix facultas uiget, & unam rem petere aliam, & diuerſum à diuerſo pertrahi conſpicimus. Quippe cum quippiam à quopiam pertrahitur, nec id fiat, quia id quod trahit immodicè caleat, ut contingit in ellichnijs cum ad lucernæ fomitem oleum pertrahitur. nec rurſus nè inane inuita nolenſq́ natura patiatur, ut cũ aqua per cauas fiſtulas ſurſum aſcendit, tũc uim quãdã occultã in utroq́ tã eo quod trahitur, q̃ in eo quod trahit (quã proprietatẽ appellare conſuetudo eſt) dicere næceſſum habemus, quæ attractus eos imperceptibilibus rationibus factos moliatur, quo fiat ut hoc quidẽ alliciat, & ueluti ueneficijs & præſtigijs quibuſdam afficiat alterum, illud uero ceu incantationibus adductũ libens conſequatur. Latiſsimè autem hæc attractrix facultas patet in ſeminibus, in plãtis, in metallis, in animalibus. Et deniq́ auſim affirmare attractricem quandam facultatem, per omnem naturã diffuſam eſſe, quæ ſingula nexu indiſſolubili deuinciat. Nec enim aliquam rem reperire quis facilè poſsit, quæ non ad aliam quampiam: uel amicam familiaritatem habeat, uel naturæ communione non diſſideat, ex qua conuenientia, uel diſconuenientia attractiones fieri docebimus. Per hanc uirtutẽ mundus ipſe connectitur, & mũdi partes inuiſibilibus nodis: quamuis longiſſimè diſtantes, nè diffluant continentur. Hæc facit ut ſimilia ſimilibus coniungãtur. Propter hãc uniuerſi non confunditur ordo, ſed quidquid uſq́ rerũ eſt (perinde ac diſpoſitæ ſuo quæque ſub duce acies) ſuam ſtationem conſeruat, nec temere ſe alijs immiſcet, ſed

ſub cognata entium ſerie cohercetur. Igitur priuſquã de attractiõe plura dicamus, prædicere prius næceßarium eſt, quot & qualia ſint, in quibus manifeſtas attractionis uires, facilè adnimaduertere, & diligenter pernotare poſſumus.

CAPVT I. DE MAGNETE.



IAM uero quis neſcit reperiri lapidem in metallis, quem & ſideritem actionis ergo, & Herculeũ, & magnetem nominant, quod ferrum ubi applicatum eſt, mox rapiat. Inuenit hunc Magnes quidam nomine, paſtor: cum armenta paſceret, qui cum baculum cuſpide ferrata munitum, quo humum tetigerat, uideret nõ poße auelli, & hærere ſibi crepidas ſolo cerneret, quas ferreis clauiculis compactas gerebat, eius rei nouitate detentus, lapides ſubeße offendit, tali natura præditos, qui & tardarent greßus, & moras facere compellerent. Huius itaque tã mirabilis, & manifeſti operis nulla ſanè ratio conſignari poteſt, ni à complexu, & temperatura fieri dicamus, quæ totam rei eſſentiam complet, & ex primarũ qualitatũ actione producitur, cui has & ſimiles actiones acceptas referre conſentaneum eſt. Qui uero harum rerum, ſicut & aliarum quæ à proprietate proueniunt, conantur reddere cauſas, ridiculi nimis in omnibus inueniuntur. Non defuerunt enim qui traderẽt in ferrum potiſſimum hunc lapidem ſuas exercere uires, quòd hæc materia ſolida ſit, & compacta, & minima ſub mole multum de ſubſtantia contineat, ut ſola qualitatem à lapide impreſſam ſuſtinere in ſe, & tueri poſſit: qui quidem non aliud ijs dictis mihi ſentire uidẽtur, quàm ꝙ ferrũ dũtaxat eſt obiectum cõpetens, & aptum, ut actionẽ facilè agentis ſuſcipiat, & ꝙ talis inter hæc ſubſtãtiæ ſimilitudo intercedat, ut unũ trahat, alterum trahatur, quod ſi dicere uelint, non multum repugnabimus, nec cum uiris talia aſſerentibus, contendemus: ſi uero aliquam rem imprimi pertinaciter contendant, tũ meritò mox rogabimus illos, ut quale nam ſit illud, nobis oſtendãt, quod cum dicere non habeant, ad proprietates confugiendum eſt, à quibus, & ij, & alij non minus ſtupendi effectus prouenire deprehenduntur.

CAPVT II. DE EODEM.



MAgnetem ferri uim attractricẽ habere, notius ſanè & magis cõſpicuũ eſt, quàm ut longiori ſermone explicari egeat, atque cũ nulla ratio conſtet, cur hoc fiat, ad attrahendi proprietatem recurramus næceſſe eſt, & duplicem hanc in magnete aſſignare oportet, alteram qua ad urſæ uerticem ſemper obuertatur, alteram qua ferrum ad ſe tanquam præſtigijs quibuſdam deducat, non enim ferrum ideo à magnete trahitur, quia ſimile eſt. ſimilior nãque magneti magnes: idemꝗ ſibi ipſi eſt, nec tanꝗ nobi-

nobilior magnes à ferro petitur, & salutatur, longe siquidem à metallo lapillus dignitate relinquitur, Quid igitur? quid. nil aliud sane nisi quòd cum nulla ratio appareat, qua fiat ut magnetis opus peragatur: & nihil temere & inconsulto agi operæprecium sit, sed omnia ex aliquo quod motus principiũ præbeat, fieri nimis admodum sit necesse, ferri attractricem uim quãdam (quam epispasticem Græci uocãt) magneti tribuamus: quæ quo pacto ei insit, in prosecutione sermonis docebo.

CAPVT III. IN QVO PHILOSOPHORUM quorundã circa magnetẽ opinio impugnatur.



QVidã ex numero philosophorũ etiã hunc sublunarẽ orbem à cælestibus regi & gubernari contẽdunt, atq; cælestiũ uim usq; ad minima etiã peruenire uolunt, nihilq; esse tã minimũ quod illorum superiorum, & nobiliũ influxu nõ penetretur, dicereq; etiã num sane ijs uiris tralaticiũ est, etiã formicarum oua: quæ nullus sensus percipere possit, cælorum esse uirtutibus influẽtiæq; subiecta, nec quicquã esse sane tã liberum, quod ab illorũ se radijs abscondat, affici itaq; corpora, & uario modo pati, hoc uno, illud alio, prout unũquodq; alterari, & disponi est natum: oportere censent, & quædã esse Solaris naturæ tradũt, ut herbæ & lapides (quas heliotropius appellãt, quòd ad Solis radios Phœbo se circumagẽte cõuertãtur) aliã Martia, alia Iouia, Saturnia nõnulla, Mercurio alia debẽda assentiuntur. Elucescere uero in ijs rebus eorum siderũ effectus, quorũ characteres & notas tãq; expressas imagines in se referant, amare Venereos, pugnare Martios, Mercuriales negociari, & alia queq; agere, qualia sidus dominicũ moderatur. Iã uero multos gradus & ordines quosdã arbitrãtur, eorũ quæ sub eiusdẽ & unius sideris astro & uexillo subsint, in quibus quod inferius est: parere & obsecũdare maiori, quod uero superiorẽ locũ tenet, coli, & religiose à subiectis obseruari. Nec modo inanima, sed & hoĩes, & aĩas ipsas alias Solari sorte, alias Iouia, Martis alias esse credũt. Leonẽ itaq; & gallũ utrũq; quidẽ Solarẽ esse, sed tamẽ fugere Gallo audito aut cõspecto leonẽ, quòd illũ ceu digniorẽ in Solari statu reuereatur, illiq; tãq; digniori assurgat. Pari modo magnetẽ & ferrũ habere sese reputãt, in utroq; ursæ uirtutẽ inesse, sed potiorẽ in magnete, quo fit, ut trahat potius q̃ trahatur. Pœnitet me hercules cõmemorasse ista, & ĩ ijs recẽsẽdis cõtriuisse tẽpus piget, adeo friuola hæc sũt & inania, & nullis fũdamẽtis fulta, atq; ne quid molestius dicã, certe philosophi nõ sũt, q ijs quorũ ꝓximas & cõtinẽtes causas assignare possũt, lõge dissitas tamẽ & remotas cõmẽtãtur, quæ uerbis tenus nõ re innitũtur.

CAPVT IIII. IN QVO MVLTA DE magnete, & AEpicuri opinio refellitur.


Nunc AEpicuri opinio recensenda est, qui cum ex atomis insectilibus cõstare oĩa posuisset, in principia falsò supposita, cunctarũ rerum effectus reducere uoluit. Hic nãq; & cælũ, & terras, & animãtia, & mũdũ, & astra, & quidquid deniq; uisu cernitur, ex atomorum cõcretione tradit esse cõposita, ex illarũq; discretione rursus fore soluẽda, ferri has per infinitum inane errore uago, & nunc mutuo sibi cõgredi, atq; obuiare, nũc digredi atque discedere, & cõiunctione quidẽ illa cæca res gigni, digressu uero atq; separatiõe corrumpi, influere has semper atq; rursus effluere, perinde acsi æstu cõtinuo agantur, & incrementa quidẽ rerũ tunc fieri, cũ uincit effluxionẽ influxus, atomos magnitudinibus, & figuris, & cuspidibus esse differentes. Hinc rerũ quasdã peruertere, quasdam leuiter demulcere tactũ, quod ex rotũdis & leuibus, & nihil asperum habentibus nõnulla cõstent, alia uero ex asperis, & hamatis, & aspero mucrone insignitis cõstituantur. Ergo atomi (inquit) quædam à lapide magnete profluunt, aliæ rursus à ferro prodeunt, quantitatibus, & formis omnino similes, quæ in aduersa corpora impingẽtes repelluntur ad mediũ, & propter ansarũ iugabilẽ cõpetentiã, mutuo collisæ, inexplicabilibus quibusdã nodis, & inuisibilibus clauis, & apprehẽsionibus implicantur, à quibus ferrũ suspendi cõtingit. Hæc est AEpicuri de magnetis attractione sententia indigna prorsus, quæ in disceptationẽ adducatur, sed quam nec Galenũ penituit pluribus refellẽdo cõfutasse, nec nos pigebit, si tantisper dum falsam ostendamus, immoremur. Cõpertum sanè & exploratũ usu est, quòd si stilus unus quispiã, aut annulus ferreus magneti applicetur, deinde alterũ adiungas, & tertium, & quartum, & sic plures deinceps ordine consequẽti, q̃uis primus dũtaxat contingat lapidẽ, oẽs manere in aere suspensos, ut continua quæpiã annulorũ catena esse uideatur. Quid igitur O sapiẽtissime hoĩm AEpicure dicemus? ut aerius fiat ille nexus, opus esse ais, ut resiliãt à primo stilo à magnete eũtes atomi, & mutuũ ineãt cõplexũ. Vel ergo repelluntur omnes à primo stilo ferreo, & sic nec secundus, nec tertius, nec alij qui deinceps sequuntur, propẽderẽt. Vel subeũt, & ingrediũtur. Si repulsam patiuntur, nõ adhærerẽt sibi mutuo stili. Si penetrant, falsa & cõmentaria est AEpicuri assertio, qui sentit per reflexionẽ atomorũ, & cõcatenationem ferrũ suspendi. Vel tandem quod ultimo dicere habẽt, alia per oẽs stilos à magnete locum sibi faciũt, aliæ recedunt, sed cur quædam à processu impediantur, quædam intrẽt, nisi in totũ ineptire uelint, cõmẽtari nihil possũt. Ad hæc illud manifestũ, nõ solũ sursũ, atq; deorsum, sed & ab utroq; latere quàquà uersus uinciri, & colligari, oportere atomos tã ferri q̃ magnetis, si artè cõplicari debeãt, sed cur exigua corpuscula sensum omnẽ effugiẽtia, tot ansas, & fibulas quibus se mutuo corripiãt, habere queunt?

quæunt? cur perpeti & iugi nunquã͡q; quiescenti fluore magnetis substantia discussa nõ resoluitur? & maxime per æstum cum ingens fluor substantiæ in corporibus accidit. Sed minimũ (inquit) est quod exhalat, & uix millesſima est unaquæq; atomus, eorũ ramẽtorũ quæ ad Solis lucidos radios apparẽt, hæc cũ ita habere dicas, & tamen nihil O bone affirmare uereris, à tam gracilibus, & tenuibus, & quin potius nullis corpusculis ferri dura densaq; pondera attolli. Qui latet hæc mirabilis cõplicatio? Cur non oculi (quãuis lynceo qui est in fabulis, acutius cernãt) hos inanes cõplexus conspiciũt? atque ex ijs quidem opinio satis superque explosa uidetur, quæ sibi persuasit, ex atomis repulsis atque reuerberatis ferream molẽ librari. Nunc quod pro uero tenemus, exponendum & aperiendum apertius est. Totam magnetis substãtiam, hoc est tẽperaturã ipsam quædã facultas (quàm proprietatem uocamus) concomitatur, & consequitur, qua ferrũ trahere posſit. Et profecto utiq; aer traheretur, si aliquam alterationem susciperet à magnete, similem illi quæ ferro traditur, quòd si aerem trahere non contingit, id non est propter ineptitudinem patientis, ut ferme scriptorũ uulgus opinatur, sed propter ipsius agentis dispositionem, quod nõ nisi in ferri masſã agere ex se natum est. atq; ita in omnibus quæ à proprietate agũt, rẽ sese habere mihi persuadeo. Quæcũq; hoc modo agũt, si in hoc agant, in illud nõ agant, id non est, quia unũ est ineptum, aliud uero est aptũ, ut impresſionẽ suscipiat eius quod agit, sed quia mox iam à se & à natura sua, & à proprijs intimisq; principijs in unum, & non aliud tendunt, & inclinantur. Quia cum elementa miscerentur, talem tẽperaturã produxerunt, quæ in peculiarem materiam uim suam exereret, & demonstraret. In ferro itaque nihil intermedio aere affecto magnetis facultas recipitur, pari modo ac torpedo piscis (quem narcen uocãt Græci) quãuis nihil linum, uel calamum piscatorium immutet, piscantium manus frigido quodam stupore conuellit. Est inter magnetũ genera, quidam alius præstantior reputatus, qui nõ adeo in ferrum, sed in magnetem alium uim suam exercet. Fert quoq; regio non procul ab ea parte Æthiopiæ in qua magnetes nascũtur, lapidẽ quẽdã cui cõtraria magneti natura, abigẽdi atq; repellẽdi ferrũ facultas inest. Nõ prætermittemus hic quod nõ nulli nõ omnino humilis notæ nec abiecti scriptores scriptis prodere non dubitarunt, quòd si quis manu magnetem, & ferrũ quod attraxit contineat, non plus manus ipsa præponderat, quã si alterum dũtaxat contineret, eo quòd non sustineat pondus ipsa manus, sed magnetis natura. Pari modo (inquiũt) si librile fiat lances habẽs ex magnete cõstructas, quarũ uni ferrũ appendatur quod gestare posſit, nõ grauabit lanx altera, nec iugum deorsum uerget, nec declinare examen faciet, non enim præmitur, nec laborat sub pondere statera, nec sustinet ferrum, sed aura tenax & furtiuus

 spiritus

ſpiritus à magnete traditus. Sunt qui dicant, quòd ſi unum & alterum ferrum rapiatur, hoc minus, illud maius, q̃uis diſpares & inæquales habeāt grauitates, æquis uelocitatibus ad magnetem properabunt. Verum ij uolunt, non pertrahi à magnete ferrum quidem, ſed occulta qualitate affectum, ipſummet ſua ſponte ad magnetem pergere, ut cum eo coniungatur. Nos uero nō ſic dicimus, ſed ex ipſa complexione magnetis ſequi, ut ferrum trahat, & grauitatem obſtare grauiori ferro, liberiusque & minus impeditè ſequi quod eſt leuius. De hoc lapide ſic ſcribit Plinius libro trigeſimo ſexto. Quid ferri duritie pugnatius? ſed cedit & patitur mores, trahitur nāq; à magnete lapide, & domitrix illa rerū omniū materia, ad inane (neſcio quid) currit, atq; ut propius uenit, conſiſtit, teneturque, & complexu hæret. Eleganter item magnetis naturam uerſibus expreſſit Claudianus poeta dum ferreum Martem à magnetica Venere pertrahi deſcribit in amplexus. dum inquit.

Ex ferro meruit uitam, ferriq; rigore
Veſcitur. hæc dulces epulas, hæc pabula nouit.
Hinc proprias renouat uires, hinc fuſa per artus,
Aſpera ſecretum ſeruant alimenta uigorem.
Hoc abſente perit, triſte morientia torpent,
Membra fame, uenasq; ſitis conſumit apertas. Et rurſus.
Pronuba fit natura deis, ferrumq; maritat
Aura tenax. ſubitis ſotiantur numina furtis. Et infra.
Et lapides ſuus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ.

Magnes item ſi alleo inungatur, uires amittit. Lapis item adamas ſi è regione magnetis ponetur, renititur multum atque obſiſtit, ne à magnete ferri acies pertrahatur, quæ cuncta in uocatas proprietates reducuntur.

CAPVT V. DE VIRTVTE ATTRACtiua quæ eſt in frumēto, & alijs ſeminibus, & lupino, & naſturtio, & cornu elephantino.



TRitici exēplum ineſſe quibuſdā rebus attractrices facultates inſitas & innatas euidenter docet, atq; demonſtrat. Solebāt ruſticiquōdā (inquit Galenus) quo tempore ab areis: ut in horrea recōderentur, frumentum deferrēt, quo tū id maiorē molē cōquireret, tū uero magis præpōderaret, ut ipſi furto ſubtraxiſſe aliquid à dominis poſſent, quod facilè futurū erat, ſi maiori magnitudine far ipſū triticiue grana profeciſſēt, ſolebāt (inquit) lagenā ingentē aqua plenā plauſtro in medio: tritico diligēter circūfuſā īterponere, quo facto breui tēpore mox to-

totus humor occulto suctu & latentibus tractibus à tritico trahebatur, quo incremẽtis tacitis increscente & habitiore facto, tum dominis coloni ex minore dimenso satisfaciebãt, tum quid quid superarat, id sibi totum accrescebat. Hoc igitur tritici argumento ineſſe seminibus à natura insitã attractricem facultatem, & eã quidem uehementiſsimam manifestè comprobatur. Nam si uel Soli feruentiſsimo qualis media æstate perurit, ea urna aut situla ex aqua exponeretur, nè breuis quidem sensu perceptibilis portio consumeretur. Porrò quòd semina quamuis emortua, & succi omnis expertia, & festucacea, ualidas habeant has attractrices facultates quas dicimus, Theophrasti uiri doctiſsimi testimonio illa sufficienter contestantur, quòd quamuis longo tempore postq; collecta sunt, si in tellurem iacta fuerint, mox corripiant & comprehendant, & latè radices agant; unde quæcunq; seruare uolunt, & frequenter reuoluere &, suspendere in alto, earum rerũ periti soleãt, cauentes nè qua sit occasio, ut semina pullulent, & enascantur. Sed longè melius fecero, si eius uiri uerba apponam quæ primo libro de causis plantarum ad hunc modum scripta se habẽt. Omnibus autem (inquit) sæminibus aliquid pabuli ineſſe hinc etiam constat, quæ enim arida & ueluti putaminea omnino cernuntur, ut holerum: hæc suis temporibus ad germinandum mouentur: etiam si humoris quantumlibet senserint. Quam ob rem hæc in cenaculis reponunt, suspenduntq; eminentius, nec ullam in eo domicilio aquam conspergunt aut afferunt. Iam uero si quis prægrandem funiculum pinguibus caricis confricatum, ita ut cenchramdes adhæreſcant, telluri committat, ingens non longè post ficulneariũ ordo exorietur, quod ipsum qui arbores longa serie, & in quincuncem dispositas habere comcupiscunt. (ut AEneas Platonicus ait) obseruare consueuerunt: ut uel inde quanta, & qualis diuina sit hæc attractrix facultas in seminibus apertiſsimè clarescat: quæ tantum non quacunq; oblata occasione in lucem se ex minimis principijs proferat. Cardama præterea, id est nasturtia omnem ad se sugunt telluris humorem, unde seri iuxta alias herbas debere nasturcium: plantarũ scriptores negant, quòd omnem ab illis sibi surripiat alimoniã, atq; hoc nec ignoraſſe Aristophanes de nasturtio uidetur, cũ ait. Trahit ad se ipsam tellus cogitationis nostræ humorẽ, hoc ipsum etiam & cardama patiuntur. Lupini item medijs uinetis cõseruntur, quòd uitium telluris quodcunq; & omnem amarorẽ exhauriant, & ad se asciscant, unde tristes efficiantur, & ingrato sapore constent, nisi aqua infusi dulcescant. Non tacebo hoc in loco quod apud AElianum diligentem historiæ animaliũ scriptorẽ in hanc sententiam scriptum offendi, elephãti (inquit) cornu in locis abditis, & defoßis lõgè abscõdere, & deffodere consueuerũt, nè quis inueniat, quod à uiris quibus ea cura est, tali industria deprehẽditur, quo loco inuẽtũ ipsum iri arbi-



trantur, utres ingentes aqua plenos comportant, & relinquũt, quòd si aquã ab utribus postmodum deffecisse uident: certum habent inuenisse se quod quærebant, quòd peculiare id habeat elephantinum cornu, quòd omnem ebibat humorem quemcunq; offenderit, quòd si utres integri & æquè turgentes maneant, abeunt, & cornu inueniendi omnem spem deponunt. Ex dictis itaq; non esse sanæ mentis: qui attractricem facultatem rebus inesse neget: satis equidem arbitror demonstratum.

CAPVT VI. DE IIS QVAE cuspides infixos trahunt.



Anifesta & cõspicua multũ adeo uis attractrix in is est, quæ ex profundo sagittas & cuspides infixas membris ex alto conuellũt, & extrahunt. Talia uero multa reperire est, de quibus Paulus AEgineta ita scriptũ prodidit. Mucrones & harũdines & cuspides euellunt, utraq; anagallis, aristolochia rotunda, ammoniacũ cũ melle, herbæ appollinaris fructus tritus & emplastri more appositus. Harundinis quoq; radicem terens, & melli mixtam in lintheum illinens abunde imponito, cõpendio etenim educit, quidquid extrahendum est, Sunt & multa alia quæ hac eadẽ facultate pollent. Quòd autem non quia inflammationẽ (quæ illis infixis sequitur) soluant, ut aliqui dicere ausi sunt, sed totius substantiæ facultate, & tacita attractione hoc faciant, manifestũ (ut inquit Galenus) inde maximè est, quòd alia sunt inflammationum remedia, alia autẽ quæ ab alto, quæ infixa sunt, conuocãt. Adde quòd cum hæc applicantur particulæ (quibus talem uim esse dicimus) nullus dolor consequitur, sed ueluti quibusdam medicamentis pharmacijsue, & magicis uerbis excantant, quod trahendum est, quæ nullo sanè modo fierent, sed consequi magis dolorem par esset, si nõ naturæ sponte, sed ui extraherent, quæcũq; in alto adhæserũt.

CAPVT VII. DE QVIBVSDAM quæ trahunt uenenum.



Vemadmodum uero reperiuntur, quæ cuspides infixas emittunt, sic etiam quæ diffusum latè per artus ueneni uirus exugant, & euocent, reperiri satis constat. Nec uero hæc ita dũtaxat contingunt, sed quod in admiratione ponendum utiq; magis est, aliud alij ueneno extrahendo usui est, atq; accommodatũ, aliud cantharidum uirus expugnat, aliud uiperarum lætalem succum exhaurit, aliud turturis marinæ loliginem extorquet, & alia alijs breuiter sunt remedia. Nõ est derogãda fides ijs quæ diligens uirorum doctissimorum sapientia adinuenit, sed magis nos ipsos assuefacere debemus: nè quidquam aliter se habere fas esse credamus, quàm ab illis est proditũ,

sed

ſed tamen nè hoc ipſum quod modo dicere reliqui, in diffidentiam adducatur, Galeni medicorum principis meminiſſe dignum eſt, qui eam rem ſatis admirari nõ potuit, cuius uerba ſubſcribam, ex primo commentario de naturalibus facultatibus dum ait. Secundum autem quod merito quis magis utiꝗ; admiretur, quòd non ſolum alia medicamina cuſpides, alia uenena trahunt, ſed etiam ex ipſis quæ uenenorum ſuccos trahunt, alia uiperæ, alia turturis, alia cuiuſdam alterius uirus conuellunt.

CAPVT VIII. DE ATTRActione nutrimenti quæ fit à membris.



Odem modo alimonia à membris pertrahitur, quo ferrum à magnete conuellitur. Nam ſicut innatam magnes facultatem habet, qua ferri grauitatem accerſat, ita & ſingulis corporis particulis ineſt uirtus quædam inſita & natiua, quã attractricẽ uocãt, quæ quidquid in ſuccis & humoribus familiare, & cognatum eſt, ut nutriendo eſſe poſſit, ad nutricionem membrorum trahere apta eſt. Non enim nè dum multorum annorum, ſed nè quidem paucorum dierum numero, animantia perennarent, niſi facultates, à natura traditas haberent, quibus uitam tuerentur. Sed cũ eorũ corpora in continenti ſubſtantiæ fluore ſint, nutriantur continuo, & iugiter oportet, quo quidquid deperditum eſt, reparent, & reſartiant. Rurſus uero cum nutricatio fieri non poſſit, priuſꝗ; quod aliturum eſt, primum membro apponatur alendo, deinde glutinis cuiuſdam modo connectatur, & tandem illi perfectè aſſimiletur, apponi uero nihil poſſit, quod non prius ſit pertractum, hinc attractionem priorem ſequi, & cum primis fieri oportere, non obſcuris argumentis concluditur, ſi modo altrix facultas talis ſit, ut ſeruare ſubſtantiã membrorum poſſit. Quod uero qualis eſt humorum à medicamentis, & ferri ad magnetem, talis ſit alimenti ad mẽbra attractio, tum quàm plurimis in locis, tum uero apertioribus uerbis ſecundo de naturalibus facultatibus Galenus prodit in hæc uerba. Quòd alimonia quidẽ trahitur, etiam nos ſanè confitemur, quòd uero non conſequentia ad id quod euacuatum eſt, prius oſtendimus. In cõmune igitur inueniamus quomodo trahitur, quo pacto profecto aliter? quam quo ferrum ab Herculeo lapide: qui attractrice facultate præditus eſt. Idẽ præterea Galenus cũ de uehementiſſima & nimis oppidò uiolenta cordis attractione quã facit ex omnibus corporis partibus, ut ſibi ſanguinem comparet, loqueretur ſexto de uſu partium huiuſmodi ferme diſputat, ꝙ cum omnis attractio uel à calore fiat, uel nè inane ſequatur, uel ſcilicet à proprietate totius ſubſtãtiæ ſicuti à ſideritide lapide ferrũ, cor oĩbus tractuũ generibus fungatur, ut pote quod & calidiſſimũ ſit, & plurimũ ritu folliũ dilatetur, & nõ minorẽ naturæ cõmunionem,

& familiaritatem obtineat cum sanguine, quàm sit inter ferri, & lapidis substantias concordia: sed illius sapientissimi uiri ex loco iam citato pulcherrima uerba subscribam, ut minus fides nostra periclitetur, ipsum (inquit) cor. cum omnibus attractionũ generibus (quæcunq; imaginari quis possit) sit præditum, celerrimè in sinus uẽtriculorum suscipit, materias quæ influunt. perinde ac si rapiat eas, & Charybdis cuiusdam modo exsorbeat. Nam siue ut fabrorum folles cum distingũtur: intro aerem conuellunt, hoc utique quouis potius ipsi adest cordi. Vel sicut lucernarum flãmæ olei liquorem ad se trahunt, nec hac facultate cor indiget, uel destitutum est, cum sit caloris innati principiũ. Siue perinde ac Herculeus lapis qualitatis similitudine inducit ferrum, quid aliud omnino spiritu ad refrigerium ipsi cordi familiarius est? uel quid sanguinis bonitate ad alendum commodius illi fuerit? mihi sanè diuulsurum fuiße aliquod uasorum ipsum cor omnibus attrahendi facultatibus utens: profectò uidetur, nisi aliquod mirandum præsidium, nè quid tale committatur, ipse opifex noster machinatus esset. Porrò quãuis hoc Galenus sentire uideatur, quòd idẽ sit modus attractionis nutrimenti, & ferri à magnete, nos tamen non omnimodam similitudinem intelligi uolumus, magnes etenim in attrahendo nulla alia re utitur, sed mox mediante sua forma: quod aptum natum est: perficit. At uero tum fibris in lõgitudinem porrectis quibusdam (quas inas uocant) tum calore membrum opus habet, ut ad particulam alimonia impellatur. Præterea nihil resistere, nec reniti ferrũ cum à magnete pertrahitur dicere consentaneum utiq; est, cum tam leui ductu illum sequatur. Non sic uero de alimento dicendum est, quod cum sit graue, nõ suapte spõte hoc habet, ut in omnem dimensionem sursum & deorsum, & quàquà uersus conferatur, ut in alitionem membrorum concedat, sed in tantum procedere similitudinẽ dicimus, quòd ueluti ex parte magnetis attrahentis naturale est, ut rapiat ferreos stylos, ita omnibus artubus corporis nimis admodum familiaris est eorum attractio: per quæ defluxionem naturalem reparant.

CAPVT IX. DE ATTRACTIONE quæ in genitura reperitur.



Attractricem facultatem etiam alia uia ostendere poßumus. Genitura hominis postq; in muliebres locos coniecta est, opificis rationem sortitur, qualis est Phidias qui materiã conformat, mẽstruum autem quod bulga mulieris cõtinetur: ceræ rationem habet: quæ ab artifice exornatur. hæc (opinor) si non à sanguine quod in matrices deriuatur, nutriretur, facilè periret, & euanesceret, & desiccaretur, & spiritus tandem genitales in eo contenti, in auras exhalarent, & soluerentur, ut uero permaneat

neat & augeatur, & in maiorem molē assurgat, ex qua temporis profectu, cū suffi cientem quantitatem assumpserit, conceptus delinietur: nutriri ipsum operæprecium est. Roris igitur in modum paulatim sibi sanguinem asciscit, & apponit, & ex hoc sanguine menstruo alimoniam sentit. Si uero sanguis menstruus confertim influeret, & in maiori copia semini alendo, obrueretur utique multitudine semen: ut extinctionis periculum subiret, si autem minus quàm par est traheretur: inopia semē laboraret. trahit igitur quod est moderatum, quantum scilicet nec obruere sua quantitate possit, nec semen careat alimento. Nē uero rationabilem animam semini ascribere cogamur, quod quale & quantum opus est, sibi adiungat, attractoriam quandam facultatem in semine ponere est næcesse: quæ & si naturalis sit, & rationem nō habeat, dūtaxat id quo indiget, accersat, & ui trahat.

CAPVT X. DE MEMBRIS ATtrahentibus naturales superfluitates.



SVperstat de membris attrahentibus naturales superfluitates quæ in corpore generantur, hoc in loco agamus: nam cum alimenta con coquuntur, ut ex nutricatu, & eorum confectione laborationeue aliqua excremēta relinquantur næcesse est: quæ ad alimoniā præstandam apta nō fuerūt, ad quorum expurgationem organa quædam ipsa natura præparauit, & ut quod obire munus deberent, aptius & elegantius facerent, hoc est ut sanguinem expurgarent ab excrementis, & superfluitatibus quæ in eo inferuntur, cōuenientiam, & familiaritatem quādam ad humores quos attractura essent, & facultates quasdam eorum conuulsiuas inseuit, ut in ijs attrahendis magis gauderēt. Adhunc igitur modum splen atrā bilem ad se trahit, & quòd craßissimum maximè & fecibus proportionale est, mox ut sanguis in iocinore est generatus. renes autem & urinæ uesica quodcūq; in sanguine aqueum, & tenue, & mordax est, expurgando exhauriunt. bilis autem conceptaculum flauā conuellit. Sed mirabitur aliquis, & secum positus dubitabit, quod nam tam infœliciter natum sit membrum, ut sordibus & ueluti sentina, & alluuione totius corporis naturæq; excrementis delectetur, ut in ijs trahendis operā perdere uelit, sed mirari desine, & Galeni accipe exemplū. Vt canibus stercus humanum q̄uis graue olens, & fœtidū suauißimum edulium est, sic lieni atra bilis, flaua, fellis folliculo, urina renibus & uesicæ amicabilis & iocunda est, sanguine enim craßissimo lien indiget, ut alatur, renes & uesica aquoso humore opus habent, flauam bilem fellea ampulla ad sui alimentum expostulat, & ut Theophrastus (inquit.) uultures unguentis, scarabei rosarum odore offendūtur atq; necantur, sic prædictis paticulis à quibus sanguinem expurgari

purgari dicebamus, quæ alioquin reliquis membris inutilia, & pōderi futura erant, suauia sunt imprimis atq; iocunda, nec quidquam facilè ad eorum nutricationem ijs humoribus quos trahunt aptius, aut conueniens magis reperias. Vnde ut pulchrè sexto de usu partiū corporis humani Galenus narrat, nisi urina acrior, aut mordatior quàm pro sanitatis modo efficiatur, aut nisi quis diu ieiunus perstiterit, ut acritudinē bilis acquirat, nunq; nec urinam quæ uesica cumulat, nec bilosi humoris folliculus: ijs humoribus ad quorum depurgationē à natura destinata sunt (nisi regurgitēt adeo, ut conceptacula quibus continentur: tendant) aggrauantur, aut tedio eorum afficiūtur: quoniam licet sint corporis excrementa, ijs tamen artubus à quibus petuntur, sunt nimium perfamiliares.

CAPVT XI. DE MEDICAmentis purgatiuis humorum.



PArs uel species attractricis facultatis sunt medicamenta humorū purgatoria facultate prædita. Nam quòd ea humores eligāt quos euacuant, multa imprimis persuadere possunt, nam si quis aquam intercutem patienti, medicamentum quod aquam proliciendi uim habeat (hydragógon dicunt Græci) exhibeat, plurimum de aqueo & seroso sanguinis, excretum per aluum uidebit, de alijs uero humoribus omnino minimum. Si quis autem ægro qui arquato morbo teneatur, pharmacum quod bilem educere possit, propinet, magnū sentiet iuuamentum, bile multa ægro per uentrē imū succedente. Rursus si iuueni exhibeas medicamen quod bilem agat, multa bilis euacuabitur, pauca autem omnino in ætatibus quæ modicum de bile exaggerāt. Nec nō & illud indicio euidenti est attrahi peculiares attrahentibus medicamentis humores, quòd per hiemem plus de pituita, per æstatem autē magis de bile educatur. Ita enim res habet, in alijs, & ætatibus, & tēporibus, alij humores exuberant, quos congrua medicamenta cum in tempore exhibentur, euacuant. An uero detur medicamentum quod sanguinem ducat, Galenus libello de purgantium medicamentorum facultate historiam hanc memorat, de rustico, qui cum iecur suillum supra herbam reposuisset, ut uentris onus deponeret, mox ut sanguinem ab epate manare uidit, herbulam intellexit, quæ cruoris tale defluuium faceret, cuius rei cum periculum fecisset certius, magnam uim populi peremit, quod audax facinus cum fuisset deprehēsum, nè plures occideret: occlusis oculis nè alteri maleficium edoceret, patibulo affixus est, eiusce pharmaci inuentor. Asserit uero doctissimè idē Galenus non propriè mereri ut dicantur medicamenta purgantia, nec expedire, ut sint cognita, quæcunq; sanguinem educendi facultatem habere reperiantur. Propterea enim medicamenta purgantium no

men

men & appellationē sortiri, quòd cruorem purum & nitidum à bile tum flaua, tum atra, & à reliqua omni humorum sentina, & colluuie separatum reddere possint, non si hunc ex medio (ut ita dixerim) tollant. Sed non faciam ut Galeni testimonium in re tanta prætermittam, nè mea magis quam Galeni placita asseruisse uidear, habet autem eius dictio hunc in modum. Fortè autem dubitabis, si est à principio tale aliquod medicamentum quod sanguinem ducat, est O optime: sed nullus ipso uteretur, propter quid dices forsam? quia iugulare hominem non purgare id esset. Nā purgantia medicamenta propter hoc maximè purgantia uocitantur, quòd sanguinē à prædictis superfluitatibus purgatum reddant, non tamen fuerit medicus tanta sapientia pollens, qui uelit totum sanguinem educere, alios autem humores in corpore relinquere. Vnde inter uenena omnia talia numerantur, quæcunque sanguinis excretionem per uenas quæ ad uentrem & intestina pertinent, moliūtur, & infra ita ait. Itaq; O præclare: multa sanè inuentum iri medicamēta tali facultate prædita, ut cōfestim à principio sanguinem trahant: consentaneum est, sed silentio haberi multò utiq; magis præstat, sicut & alia uenena reticentur: ab ijs qui uel tantillum mentis possident. hactenus Galenus. Vtrum autem quemadmodū de sanguinis eductiua herba dictum est, ita & humorum aliorum medicamenta propria si extrinsecus applicentur, uel si foris conuenientes humores habeant, quos trahant, eos educere possint, præter quàm quòd quidquam à corpore patiantur, & alterentur, in processu sermonis latius peragemus. Quòd autē purgatoria medicamenta à proprietate trahāt, & familiaritate substantiæ quā gerunt ad humores trahendos, auctoritate Galeni confirmatur in ijs quæ ad Pisonem in Theriacis scribit, ijs uerbis. Nos uero (inquit) scientes quòd secundum rationem naturæ quæ inest in unoquoque medicamentorum, uirtus & facultas ad operandum consentiat, etiam hoc quòd medicamenta naturali quadā facultate trahere, quæ sibi sunt familiaria, nata sunt, hac in parte ex arte cognoscimus, quemadmodum eo quòd magnetem ferrum ad se trahere uideremus: inesse ipsi facultatem quandam attractricem non iniuria nobis persuasimus. Nam cum natura quæ inest in nobis (ut inquit Homerus) deus sit, & similia ad similia perducens, etiam diuinas suas quoque facultates demonstrat. Item Galenus in eodē libro ita refert. Ex simplicibus medicamentis quædā ex tota sua substantia unā quādā facultatem ostendunt, & simplicem, quemadmodum scāmonia flauā bilem trahere conspicitur, & ex Attica regione epithymum atros humores per aluū inferiorem purgare dignoscitur, & granum Gnidiū tum pituitæ tum omnium humorum aquosorum manifestè attractiuum est. Hæc nāq; medicamina ex omni sua ipsorum parte, & ex tota sua substantia humorum tractum facere uidentur.

CAPVT

CAPVT XII. DE ATTRACTIOnis quae à proprietate fit causis.



Vnc quoniam satis (ut reor) compluribus argumentis, & rationibus haud quaquam leuibus, attractricem quandam facultatem rebus inesse demonstrauimus (quod potissimum & maximè principale huius nostri muneris propositi est) de cætero causas adducere nitamur, quibus fiat, ut attractiones committãtur. Galenus igitur quem non in minore ueneratione ipsi prosequimur, & ab alijs habendum ducimus, quàm AEgyptij Isidẽ & Osiridẽ, aut Chaldei, & Persæ Solẽ. Hic igiturquẽ semper auctorẽ, ut pote grauissimũ sequimur, sentit attractionẽ fieri propter similitudinẽ substãtiarũ attrahentis: ad id quod attrahẽdũ est, ita quòd si hoc trahit, illud trahitur, non aliunde hoc procedat, quàm quia substantia. i. cõplexio (quã esse rei substãtiam ex Galeno docuimus) unius, est similis cõplexioni alterius, ita ut semper similitudinẽ in substantijs redarguamus: cũ attractionum opera intuemur. Atque hæc quidem ratio in omnibus attrahendi generibus generalis, & uniuersalis est, quæ nec à calido, nec à uacuo fiunt. nam de ijs nunc sermo non est. Nam quoties unum ab alio pellicitur, ad complexionum cõformitatem confugere operæprecium est. Nam si cum Galeno sapere rectè potius: quàm desipere uolumus: & ex re magis tantũ sequi auctorem ducimus, tractuum omnino causam: hanc unam appellare oportet, nec enim alius, sed idem omnino modus est, tũ is quo magnes ferrum impellit, & quo medicamenta determinatos humores agũt, nec sanè hic alia reddenda ratio est, illic aliam cõmentari par est, sed eadem prorsus uis cõmittit, & in promptu est, tũ ut succos medicamenta ducant, quàm ut magnes ferri durissimam substantiam agat. Nã uel ex accidẽtibus: quæ maximã quãpiã partẽ cõferunt, ad cognoscẽdũ quod quid est, leui sanè & facili periculo conuenientiam magnetici lapidis, & ferri cognoscere datur, in ferreis enim metallis reperitur, & atro colore est, & ferrugineo sanè nigrore ferri scabritiem emulatur. Pari modo cnecus (quẽ cartamum & crocum hortensem uocant) cum pituita affinitatem in substantia (semper complexionem intelligo: cũ substantiam appello) habere dignoscitur, utrũque enim crassum, & cãdidum est. Deniquè si pro Galeno auctore stamus, quòd hoc pharmacum flauã pellat, illud atram subducat, aliud pituitam pertrahat, non aliud utique esse in causa dicemus, quàm quià unum biliosum est, aliud uero pituitosum, & quoddã tandem atrabilosum. Porrò cum substantiarum in utrisque similitudo constet: ea ratio est, quòd unum trahat potius quàm trahatur, quia ex similibus id quod est potentius, aliud trahit, & quia impensius calet, unde temperamentum suppetias sentit, & adiuuatur. Sic cum coccus

Gnidius, & gnecus pituitatem ducãt, segnius hoc munus à gneco perãgitur: quia non æqua caloris portione præditus est. Trahitur ferrum: magnes trahit, quia temperamentum magnetis est potius, magis enim calescit. Cũ autem bileũ dicimus oportere esse id quod bilem trahit, pituitosum: id à quo pituita ducitur, nolumus intelligere quòd in ijs: humores quos mouent: ceu immersi contineantur, nõ enim quidquã essemus meliores ijs: quorum opinionem superiori sermone conuellimus: qui succos cibis innare, & inuehi: non per transmutationem in corpore produci existimabant, nec innatantem pituitatem aut bilem ostendere in medicamẽtis possumus. Sed eatenus à nobis hoc dictum accipiatur, quòd quia per substantiæ, & temperamenti similitudinem (ut iam sæpius diximus) attractio perficitur, si pituita est quod trahitur, pituitosum sit, quod trahit omnino næcesse est, hoc est sibi in temperamentis correspondere, & mutuo conuenire, non quòd similitudinem in qualitatibus manifestis, aut magnitudinibus, aut coloribus, aut quantitatibus, trahens & tractum habere sit opus, sed quòd substantiarum similitudine, id est complexionum, & proprietatum ad inuicem proportionentur, & sibi mutuo competant. Ex dictis binæ argumentationes facillimè soluuntur, quibus nonnulli ex barbarorum coborte argutari consueuerunt. Nam si similitudo substantiarum facit, ut attractiones committantur, utique ita usu eueniret (aiunt) ut non magis magnes ferream maßam traheret, quàm ab ea traheretur, nec humor potius ad locum quò se medicamentum continet, moueretur: quàm contra, quia par utrobique similitudinis ratio est, ut non tam trahere quàm trahi debeãt. Ad hæc (inquiunt) si nos uera fuissemus locuti: sequeretur quòd magnes magnetem alium cõuelleret, ouum ouum aliud decerperet, ferrum suspenderet ferrum, aurum ab auro prolliceretur, & tandem omnia: ea quæ sunt sub eadem specie posita, traherent, similitudo enim in causa est, quòd tractus fiant, cum nihil aliud facilè inuenire quis poßit, quod magis ouo sit simile quàm ouum, ut in prouerbio est, & quæ maiorem similitudinẽ inter se habeant, quàm quæ speciei ratione cõueniũt. Sed qui hæc cauillantur: cecutiũt, & hallucinãtur, & à fera in totum (quod aiunt) aberrant, & cucurbitulis lippiunt. Nam quòd medicamenta humores ducãt, & non petant, & quòd ferrum magnes suspendat, quamuis sit in utrisque complexionis & temperamenti paritas, ea ratio est: quia in trahentibus maior uis & facultas trahendi potior est, superat enim calor. Quòd autem ferrum non asciscat ferrum, & magnetem magnes non persuadeat, in promptu liquet & facilis responsio est. Nos enim non identitatem, sed similitudinem substantiarũ constare uolumus: ad hoc ut tractus perficiatur, aurũ auro simile non est: sed idem. nec magnes magneti similis: nec hoĩem homini rectè quis (ut arbitror) ĩ substãtia similẽ esse dicat, nec rosa:

ſa ex re cum roſa alia componatur, ſed melius quis roſam cum anemona conferat. Ergo quæcunq; eandem temperaturam obtinent: non ferruminantur, eſt enim eadẽ ſubſtantiarum identitas. Si quæ autem ſimilitudinem in ſubſtantijs ſortiantur, alterũ petit alterum, & mutuis cæcisq; amplexibus, & nexibus uinciuntur. Galenus igitur cum futuros ſperaret plæroſque qui inſurgerent, & qui rectè dicta intelligentia non aſſequerentur, illorum cauilla ſuorum dictorum oraculis præueniendo præcepit, ut ante uulnus: remedium auxiliare in promptu eſſet, & ante lætale pharmacũ: alexiterium propinaretur. Quo circa digniſsimum ſimul & gratiſsimũ lecturis fecero, ſi eius uerbis rem hanc totam faciam teſtatiſſimam, melius enim pectoribus inſident, & animis illabuntur, & magis mentes perſuadent, quæcunque grauiſsimorum uirorum auctoritatibis confirmantur. Galenus igitur tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quo loco ſatis apertè hanc de attractione materiam proſequitur, ita ait. Nõ ignoro quòd tales ſermones ſufficienter comprehendere, & aſsequi nõ licet eos, qui in commentarijs naturalium facultatũ exercitati non ſunt: in quibus oſtẽſum eſt, quòd familiaritate qualitatis plurimæ attractiões fiũt, & propter hoc unaquæq; ex particulis animalis ad ſe ipſam familiarem alimoniã conuellit. Porrò huic dogmati conſentaneum eſt, quòd purgatoria medicamenta cum humoribus qui trahũtur, familiaria exiſtant, ſed efficaciora in agendo quodã modo ſint trahẽtia, ſicut magnetis lapis ferro uehementior eſt. Quippe & ipſe etiam num ferrum imitatur, & in ferri metallis fodinisue reperitur, & grauiter admodum illi quoad ſpeciem formamue ſimilatur: ſed fortior quodampacto eſt, ut trahat potius, quàm trahatur. Quin & gnecum pituitòſum eſſe haud quaq; deſperandum eſt: ut in colore demonſtrat, & præ ſe fert, ſed præ calore pituita ualentior: ut potius trahere quàm trahi contingat. Secundum eundem modum & granum Gnidium ſeſe habet, ſed ſi quando à corpore noſtro uincatur: hoc autem gneco frequenter accidit, grano Gnidio autẽ non admodum uſu uenit propter robur: pro purgatione euadit nutrimentum, quemadmodum ueratrum coturnicibus perpetuò pabulũ præbet. Et paulò inferius in hãc ſententiã ſubdit. In grano Gnidio & gneco pituitoſum humorem contentum euidẽter oſtendere non licet, poſſibile autem & conſentaneum & contingens, uel quod fieri nihil obſtet, in ſermone exiſtit. Sed quoniam tractus ſubſtantiarum ſimilitudinibus fieri oſtendimus: oſtenſum quippe ſæpe à nobis eſt, quòd in purgationibus: tractus eſt eorum quæ purgatorijs medicamentis ſunt familiaria, non omnium ſimul humorum alteratio. Hinc næceſſarium eſt ſimilitudinem quandam utriſq; ſubſtantijs ineſſe: tum purgantis: tum eius quod expurgatur. Quoniam igitur quod purgatur eſt pituita: omnino prorſus quod eam trahit, pituitoſum exiſtere: utique nimirum næceſſe

eſt,

est, pituitosum autem esse oportere quod trahit: dixi, non pituitã exactè: similitudinẽ enim in substantijs existere debere nõ identitatẽ diximus, totum nãq; contrariũ euenit, nec enim ferrum trahit ferrum, nec caro carnem, sed siderites quidem lapis ferrũ, caro autẽ sanguinẽ. Differũt enim (opinor) id ipsum & simile, pituita enim phlegmaue phelgmati id ipsum est, & gnecus gneco, pituitæ autem gnecus simile, nõ autem idem utiq; est. Nec enim quæcũq; edulia biliosa, uel pituitosa nuncupamus, perinde ac si bilem uel pituitam obtineant, talia indigitare solemus, ostensa enim huius opinionis absurditas, tum in commentarijs naturalium facultatum, tum plærisque alijs in locis est. Hactenus Galenus. ex quibus dilucidè satis uiri mentem perceptum iri existimo. Illud quamuis leuiculũ & non ualde serium haud omiserim, quòd cum granũ Gnidium quod est fructus, id est semen chameleæ hoc est humilis oleæ pituitã purgare Galenus dicat, de urtica perperã barbari medici dictum accipiunt, errandi occasionem tradidisse interpres potest, quòd urticam pro Gnidio grano uerterit, quia urtica à Græcis cnide quoque nuncupetur.

CAPVT XIII. IN QVO REDDItur causa, cur si medicamenta non purgent, quædam noceant, quædam non.


QVoniam exhibitis purgatorijs medicamentis ferme ita frequẽtario usu euenire consueuit, ut quædam opus suum non peragant, sed quædam nihil amplius lædant, quædam autem ubi à purgando aberrant, seuissimos casus inferre nouerunt, reddenda huius rei ratio talis est. Quædã purgantium medicamentorum uenenosam aliquam qualitatem obtinent, præter similitudinem substantiæ quam ad humores trahendos gerunt. Nõ enim ita simpliciter medicamenta, & præsidia inuenire licet, quin diuersitatem partium & substantiarum quandam obtineant, sed hæc maiorem, illa minorem. Ergo cum ocyus purgãdo non sunt: nec suum officium faciunt: medicamenta quæ noxia aliqua qualitate pollent, corrumpunt, & putrefaciunt, & substantiam corporis depopulantur, & deuastant, & omnino magnam noxam inferunt animali. Quæ uero nullam uehementem qualitatem obtinent, si mox quod trahere deberent, aliquo suborto impedimento non faciant, profectu temporis in alimoniam corporis concedunt. Ita igitur gnecus & granum Gnidium quamuis utrumq; pituitã ducat, si hanc non purgent, interdum corpori alendo faciũt, sed frequentius hoc gneco euenire cognoscitur, quia nõ æquè forte & calorificum est. Pari modo quæcunq; frigoris ratione interimunt, si non confestim occidant, sed diutile in uenis norentur, & lõgas iactationes patiãtur, & huc, & illuc per corpus oberrent: & defferantur, adeo non nocent, ut sæpius mora cõcoquantur.

coquantur, & in nutrimentum transeant, ut de uetula Atheniensi traditum accepimus: quæ longa consuetudine, nihil ingesto mortifero lactucæ succo nocebatur. Vnde Galenus loco superius citato ita inquit. Et propter hoc nonnulla purgãtium medicamentorum, quando in purgando aberrant, hæc quidẽ præter hoc quòd nihil corpus lædunt, etiam animalis nutrimentum euadunt, quædam autem in corruptam & uenenatam qualitatem cõuertuntur. Omnino enim similitudinem quandam alicui unì humorum qui sunt in nobis purgatorium medicamentum obtinet. Non autem in totum semper ei uenenosa quæpiam facultas admixta est. Quapropter nõ ex toto aliqua iniuria afficiet, si non purgauerit, sed concoquetur, & talem humorem generabit, qualem trahere, & conuellere poterat.

CAPVT XIIII. CVR MEDICAMENTA purgantia exterius non trahant humores.



Vm magnes ferrũ appositum mox ad se rapiat: si nihil obstet, & eadem sit ratio, & quòd à magnete ducatur ferrum, & quòd medicamenta quibus uis & facultas purgatoria inest, humores corporis expurgẽt, in utrisq; enim substantiæ similitudo facit, ut trahant hæc: illa uero trahantur, hinc talis oritur dubitatio, cõsentaneum enim esse uideretur, ut quẽadmodum sola præsentia magnetis sufficit, ut ferri pondus sequatur, ita & medicamenta nullo alio opus habeant, quod curiosius agatur, cum intus accepta eandem substantiæ similitudinem habeant, quam extra sortiuntur, quod nunq; contingere cernitur. Ad quod in hunc modã respondendũ est, quòd magnes quidem actu facultatem habet, qua ferro subaudiendi necessitatem imponit, & propterea nullo alio indiget, sed abunde & satis superque est: ut sese nõ longo hiante interstitio intueantur mutuo. At purgatoria medicamenta in potentia uim habẽt, qua humores ducant, quo circa à corpore prius nostro patiantur quidq; & alterentur necesse est: ut perfecte accipiant quod deest: anteq; in nos agant, & corpora pro naturæ suæ ratiõe afficiant. Hoc igitur interest, quòd magneti uis ferri attractrix actu inest perfecto. medicamentis uero quæ humores agunt, in potẽtia. qua de re Galenus in hanc sententiam præclare disserit. Illud (inquit) rursus resumẽdum est, quòd ex ipsis purgãtibus medicamentis, nõnulla quidẽ cõuenientẽ similitudinẽ & aptam ad attrahẽdum iã possidẽt, quædã uero nõdum perfecte & absolute habẽt, sed in animalis corpore accipiunt, haud secus q̃ medicamẽta adurẽtia, ut in hijs duplex similitudo sit, hæc quidẽ actu, illa uero facultate, quẽadmodum & in alijs oĩbus contingit. Quin & similibus: in singulis succis misceri alios dissimiles cõsentaneum est, alios quidem medicamentosos, alios uero minime, atq; in hunc modum in pur-

in purgationum frustrationibus: hæc quidem ex purgatorijs medicamẽtis malo quo-piam nos afficiant, alia autem in alimentum euadant.

CAPVT XV. in quo quoddam problema soluitur.



Vr qui in telluris profundis hiatibus, & putidissimis barathris permanserunt, uel domuũ nuper calce illitarũ, uel carbonũ fumum ore admiserunt, perire eos sit necessum, cum nihil spirationem propterea impediri oporteat, tum ab Herasistrato tum à Galeno dubitatum est, & Herasistratus quidem existimat, quòd aer in ijs dispositionibus tenuior omnino sit redditus, quàm ut corpore pulmonis, & arteriarum cõtineri possit: ut nihil mirũ sit, si minime sarctus tectus (quod aiunt) intus custodiatur. Galenus uero primum acriter, & nimis seuere Herasistratum accusat, & taxat, quòd dicere fuerit ausus, illorum locorum halitũ & fumũ aere cũ per naturam se habet tenuiorẽ esse, qui manifesto crassior appareat. Ad hæc si quis (inquit) arterias tetigerit, non minus eas spiritu plenas esse percipiet, ut absurda prorsus sit, Herasistrati opinio. Ipse uero ad proprietates rẽ uocat, & magis huic opinioni fauet, ut dicat rerum alias qualitates, nobis familiares & cognatas esse: alias frõtibus aduersis oppositas suapte natura & hostiles, seruari uitã à similibus: ab inimicis aũt subuerti. Ob id uero interire eos quos prædiximus, quoniã aerẽ tota substãtia inimicũ inspirẽt, atq; de hac re in uniuersum sexto de usu partium corporis humani sic diffiniuit. Herasistratus (inquit) quum qualitatis cõueniẽtiã uel disconuenientiã causari oporteret, nescio quo nã pacto tenuitatẽ & crassitiẽ spiritus accusat, ob id perire eos arbitratus: qui in Charonis barathro, uel in domibus nuper calce ĩcrustatis permãserunt, uel aliquẽ carbonũ fumũ inspirauerũt, uel aliud quid similiũ, quòd nequeat ob tenuitatẽ spiritus in corpore coherceri, sed multo utiq; magis dictu præstantius erat, quòd sicut in alimentis quæ edendo sunt: leguminum, & holerum, & panis, & similium qualitas nobis multũ admodum familiaris est: extranea uero cãtharidis, & leporis marini, & aliorũ quæ ijs similia sunt, ita pari modo reputasset aeris esse quãdam qualitatem amicam & familiarẽ, aliam uero alienam, & corruptricem. Nam si uel semel duntaxat hæc illi in mentem uenissent, nunquam dicere fuisset ausus carbonum fuliginem tenuiorem esse aere puro: quæ crassior manifeste appareat. Idem Galenus libello edito de respirationis usu in hac stetisse sententia conspicuus est dũ ait. Quomodo igitur (inquiunt) in barathris tetrũ odorem spirantibus, & domibus nuper calce inunctis, & ab extinctorum carbonum fumo suffocantur? Herasistratus sane opinatur, quòd aer in ijs constitutionibus tenuis existens non cohibetur ab arterijs: sed facile euacuatur, ut ob spiritus inopiam animal intereat, nos

uero dicimus, quòd nunquam sustinuisset ostendere, quòd in talibus aer uel tenuis sit, uel quòd nõ in animalium corporibus retineatur, nisi uerax eius rei causa talis esset, quæ difficilis foret inuentu, unde aduersus illum longiora dicere cogimur, sed tamen quatenus fieri possit: tẽtandum est cõpendiosius dicẽda conscindere. Quãuis autem nihil arguere possem: omnes alias cõtradictiones resecans, quæ multæ oriri possunt, illud os satis obstruere potest, quòd arteriarum motiones nihil magnitudine, & tempore inferiores: quàm prius erant appareant, cum tamen oporteret, non adeo ut minus pulsare conspicerentur, sed ut in totum sine pulsuum ictu persisterent, ut quæ sint priuatæ aere qui implere illas poterat. Sed si Herasistrati causam criminaris, dicito (inquiunt) alteram, ego sane quidem libens dicam, si mihi priores uos dicatis: quam propter causam fiat, ut marini piscatores, cum torpedinem duntaxat tetigerint, stupore tententur, quòd si nihil dicere habeatis: hoc saltem nobis eloqui concedatis: quòd facultatem stupefactiuã tam ualidam id animal habeat, ut uel per tridentem qui ipsis infixus est, in piscatorũ manus facile non multo cũ negocio passio recurrat. Concedetis igitur esse aliquas pisciũ qualitates: & uirtutes, quarum aliæ stuporem, aliæ ueternũ, aliæ frigefactionẽ, aliæ putrorẽ: & tandẽ aliæ malũ aliud quodpiã inducere possint, & tamẽ aeris nullã esse talẽ facultatẽ cõcedetis? Hæc Galenus quæ quamuis præclare se habere uideãtur, nimis tamẽ admodũ uereor: ne proprietates hac in parte cõpellare nõ sit multũ admodũ necesse, nec sane uideo cur sint graui animauersiõe increpãdi: qui ab his dictis dissentirẽt. Fumi enim & calce nuper dealbatarũ domuũ aura mordatior: & calẽtior est, ut nullũ refrigeriũ cordis flagrãti uisceri accersat, sed potius suffocatiõis periculũ moliatur: aerẽ uero qui in profundissimis antris immobilis diu perstitit, uel qui à paludibus & stagnis inspiratur, crassiorẽ omnino & putredini aptum & minus sane frigidum esse quis diceret, quàm ut apte per corpus commearet, & illaberetur, quod tamen habere deberet is aer, qui cordi infrigidando comparandus est.

CAPVT XVI. de quorundam errore.



Multi ut uideo in eo hallucinati, qui re salua: proprietates amitti posse opinantur: qui ex eo efficax (quantum capere possunt) argumentum sumũt, quòd purgantia aluum medicamẽta (quæ per proprietatem soluere manifestum est) postquam uetustate senuerũt, soluẽdo esse nõ possint, perinde ac si animam perdidisse uideãtur. Diuersus autẽ & alius est multum lõge sermo ueritatis. Nã quũ proprietas, ut sæpissime ostendimus, sit complexionis opus, quæ tota substantia nominatur, à qua tanquam à principijs intrinsicis fluat, hinc dicere necessarium est, quòd manẽte complexione: eam

ne:eam sua semper, & usque quaque proprietas cōcomitetur. Vt enim quia homini: eo quòd est rationalis: risus competit, fieri non potest, ut sit homo: quin ridere possit, ita quia sicut splendor à Sole prodit, & umbra corpus consequitur, à temperatura proprietas procedit, nō est ut res à suis proprietatibus relinquantur. Et ueluti oculis apertis poßibile non est, quin uideas, quod ante cōspectum positum est, ita nec magnetem quandiu ipse est: usus trahendi unquam ferrum destituet, si è regione eius obijciatur. Et sicuti (ut inquit diuus Dionysius) leo si superbiam, & crudeles animos deponeret, leo nō eßet: & canis si iracundiam perdiderit, & mitior in omnes reddatur, canis non fuerit, eodem profecto modo: ut ego sane dicerem, si eādem proprietatem nō habebit, res eadem non erit, sed in aliam substātiā fuerit mutata. Præterea ut pulcherrime Proclus in secundo commentario in Thimæū inquit. Veræ facultates eo ipso quòd sunt, uel (ut Græci aiūt) ipso esse operantur, nulla re alia indigentes, ita enim inquit. Quæ ueræ sunt uirtutes ipso esse hoc est simul quòd sunt, agunt, & ipsa auctrix facultas, & nutrix, ipso eße nutrit corpus, & auget, sic & anima animat, & uiuificat, & mouet proprium sui ipsius organum. Non enim eligētibus nobis sentit, aut palpitat corpus: sed ipsa animæ dūtaxat præsentia has operationes perficit. Igitur complexiones à quibus omnis proprietas, & actio disponitur, cum ueræ sint potentiæ: nihil aliud subinde requirunt, sed mox in eo quòd sunt, eas: proprietates & actiones sequuntur. Proinde diligenter hoc ipsum quod dicimus considerandum moneo. Nam si fieret, ut res maneret: & complexio ex toto permutaretur, contingeret ut eas: proprietates relinquerent: sed quoniam fieri non potest, ut substantia perstet: temperies peruertatur, sed corrupta temperie res simul intereant, propterea impoßibile est, ut proprietate careant, quam merito elementariæ compositionis habuerunt. Nam cum anima rationalis quæ minus cum corpore commertiū habet, & separabilis est, attamen subita & grandi aliqua alteratione facta ab eo mox auolat atq; recedit: Quid adhuc de formis corporalibus inquirere & materiæ immersis: uel dubitare opus est? quòd uariata aut multum alterata complexione corrumpantur. Sciendum tamen est quòd rebus ad corruptionem tendentibus, ut complexiones remittuntur, ita proprietas interdum debilius operatur. Contingit etiam nōnunq;, ut quia res quæ à proprietate agunt: aliquam ex numero primarum qualitatū adhibere soleant, si qualitas ea quæ complexionem iuuat, remissior fiat, ut minus sui operis meminisse possint, non quia proprietas, aut euanuerit, aut desit, sed quoniam qualitas prima abierit, qua uice instrumenti utebatur.

CAPVT XVII. IN QVO ALIORUM error refellitur circa proprietates.



Scio quosdam fuisse arbitratos, nõ cibum à membris attrahi, sed ipsum ad ea suapte sponte & proprio nixu ferri, cum quis ingestos in uẽtrem cibos aßumpserit, sed conuellenda ijs auris est, & acriter admonendi sunt, quòd nunquam natura tot fibras in longitudinem porrectas molita esset, nisi ut attractioni ciborum famularẽtur, qui cum naturæ inclinatione sint graues, quibus ima petere peculiare est, nequaquam ad nutritionem membrorum perreptarent & distribuerẽtur, si ab eis ueluti quibusdam manibus non attraherentur. Ad hæc si cibus hoc haberet, ut ipse ad membra ueniat, nõ esset utique hoc pari ratione medicamento negatum: sed ita fieri tamen nõ uidemus, medicamentum enim permanet in uentre quia non attrahitur à particulis, cibus uero quia corripitur, nõ manet. Si etiam alimonia per se ipsam subiret ad membra, altrix facultas immerito sane diceretur, non enim eßet altrix, nec nutriret, nisi attraheret. Hæc igitur eos qui attractiosnes ciborum diffitentur satis conuincere poßunt. Auerrous autem philosophus minime idoneo satis exemplo mihi usus apparet, cum lationem alimenti ad artus assimilem eßе narrat, perinde ac cum grauia & leuia corpora ad loca naturalia mouẽtur. Imaginari enim uidetur, quòd sicuti cũ mixtum aliquod generatur, quantum de specie accipit eius elementi, quod in eo reliqua uincit, tantum de grauitate quoque consequitur, per quam ad locum naturæ suæ debitum defertur: ita etiam non absimili multum ratione alimentum cum à membris alteratum fuerit, & sensim ad illorum substantiam transierit, ipsum deinde formam similem membro nutriendo nactum, ad ea sponte properet, & moueatur. Sed consistere hæc nullo modo poßunt. Nam cum innumera pene sint membra alenda impossibile est, ut unus & idẽ sanguis antea quam singulis pro rata portiõe distributus foret, omnium simul membrorum alterationes & dispositiones susciperet, ad quorũ nutricatus conferendus est. Sed absurda hæc nimium persuasio est, & risum & ignominiam ingentem debet, non enim quòd alimentum futurũ est, (ut scribit) antequam sit attractum, sensim afficitur, & ad formam membrorum disponitur, deinde uero ipsum transit, & illabitur ad ea quæ nutritione opus habent. Sed principio sanguis simplex, & informis, & nullã alterationem passus, per uenas ut egregie concoctus in iocinore est, attrahitur, deinde uero sensim disponitur, & glutinis cuiusdam modo membris nectitur, & ad substantiam membrorum priori specie mutata conuertitur. Auerroi autem memini, non ut uirum qui egregie uulgi animos ingenti sui existimatiõe occupauit, cõuellerẽ, sed ut ab eo temere dicta cõcerperẽ, nequid citra examẽ reciperetur. Qui uero aiũt alteratricẽ facultatẽ calore cõcoctiões ĩ particulis facere, nõ quoniã ĩ eis talis facultas resideat, quæ substãtiæ ratiõe alimoniã permutet,

calo-

caloris natiui, & extranei discrimina mihi ignorare uidentur. Extrinsecus solū adureret, nec formam membri induceret, ut cum ignibus quæpiam decoquēda applicantur. Calori naturali hoc unum propositum est, ut alteratos cibos ad substātiam & similitudinem integram conuertat.

CAPVT XVIII. DE ALIO quorundam errore.



Ec nō censoria nota inurendos illos arbitror: qui ita distinguere solent, magneti quidem secūdū naturam esse: ut ferrū asciscat, huic autem non perinde naturale esse, ut ad illum attrahatur, quod deorsum suapte natura ferri sit natum. Ego uero aio, quòd si ferrum ui à magnete traheretur, nūq̄ omnino traheretur, robustius enim & ualētius, & omnino grauius atq; depressius est, quàm ut magnetis imbecillitati (si uiribus agēda res foret) cederet, nisi esset quòd illū naturæ spōte sequeretur, perinde ac si ita se melius habiturum : esset persuasum. Haud secus (ut mihi uidetur) elephantus animal ferū & immane ab homine ducitur, & capistro quà uelit, agitur, nō quia necessitatis fræna imposta habeat, sed quòd ipse se subijciat, ut hominis imperio obtēperet, cui obsecundādū esse cognouit. Quippe cum substantiæ similitudo utrunq; tam ferrum quàm magnetem conciliet, ut docuimus, & hos furtiuos cōplexus committere faciat, par utriq; ad alterū & æque naturalis inclinatio est. Nam quia substantijs similia sunt, ut mutuo inter se coniungantur, hoc unum student, & optant, quantum sine grauitatis deprimentis præiudicio fieri potest, nam si magna est ferri massa, magis grauitas obstaret, quàm conciliare substantiarum affinitas posset. Sed cur (aiunt) magnes non ad ferrum tēdit, sed hoc potius ad illum properat? Cur nisi quia naturarum & tēperamentorum in utroque ratio: quæ tales attractiōes fieri facit, in magnete fortior, & dignior, & perfectior, & in maiori gradu, ita ut ferro magis intersit, ut cum eo conglutinetur, q̄ illius ex re sit, ut cum ferro mutuos nexus cōponat. Cur uero innatum ferri pondus non deprimit, & uiolentam eius librationem uideri facit? An quia licet talis latio propter innatam grauitatem uiolenta dicenda esset, magis tamen naturalis, similitudinum in substantia ratione, nuncupari meretur. Ita quamuis aquis ad infima sit secundum naturam agitatio, non tamen inuitæ (quantum intelligere queo) cum inane euitandum est, superascendunt, immo in altū spontaneo delatu feruntur, quia magis quàm peculiari, communi inclinationi fauent, nequid incommodi uniuersalis natura patiatur.

CAPVT DECIMVMNONVM de alexipharmacis.



T autem sunt uenena quæ sua proprietate certis membris nocent, & perniciem corporibus afferunt, ita sunt quædam medicamenta (quæ alexipharmaca uel alexiteria Græci nominant) quorum potentißimus effectus est, ut uenena à corpore expellant, & eorũ tã occultis quàm manifestis qualitatibus sua uirtute resistant. Hæc inquit Galenus, medium locum obtinent inter corpus nostrum, & uenena corpori nocentia. Nec enim omnino sunt similia corporis temperamento, nec rursus sunt ita sicut uenenum noxia: sed medias quodãmodo inter utrumque partes possident, ita ut quantum ab alexiterio deleterium, hoc est ab amuleto uenenum, ipsa inter se remouẽtur: tantum & alexiterium & corpus absint, & rursus quod corpus & alexiteriũ distant, hoc ab alexiterio deleterium uenenum abscedit, alexipharmaca ueneno quidẽ sunt uenena, sed ipsa si modum excedãt, fiunt hominis uenenũ. Propterea eorũ usus sanis quidẽ insalubris & interdictus est, ijs autem qui uenenum acceperunt, ut adsit medicus opus est, qui nec mẽsuram superans in exhibẽdo, lætale propinet pharmacũ, nec rursus ita paruã quantitatẽ exhibeat: ut peruincere non possit uenenum. Hoc si quis cogitet, mirũ (arbitror) uidebitur, quo pacto quæ ueneno sunt contraria, nobis nõ sint cognata, & quo modo eadẽ quæ ueneni noxas sentire nõ sinunt, eadẽ exitiũ minitẽtur, si quis non teneat modum. Si quis tamen prædictis animũ adhibuerit, huius rei ratio facile inuenietur. Nã si recte ostẽdimus, quòd similitudine substãtiæ, & proprietatis ratione attractiones fiunt, & purgantium medicamentorum operationes, hinc plane liquet, quòd non nisi à similibus similia trahantur, & quòd non nisi aliud uenenũ expellere poßit uenenũ. Trahit quidẽ magnetis lapis ferrũ, sed inter ea proprietas & similitudo est, eadẽ ratio & ĩ alijs. Atq; ut planius expediã, hæc (siue alexiteria, seu alexipharmaca, uel amuleta, siue utcunq; appellare quis uoluerit) quæ uenenorum incõmodis suppetias afferunt, & patrocinantur, non ideo hoc faciũt, quia inimicã & repugnãtẽ uenenis naturã sortita fuerint, sed quia amicabili societate uinciũtur, quod uinculũ nodis omnibus indissolubile magis & diuturnius est. Proinde quippe per sanitatẽ ijs uti cõsueuerunt, ut corpus paulatim assuescat. Ipsi proprietatẽ ueneno cõparẽ & affinẽ in corporibus acquirunt, ratione cuius nõ lædũtur. Mithridates itaq; rex Põti horũ freq̃uẽti usu: quibus se munierat, ne unq; insidias pateretur: effecit: ut cũ perire uellet, ne in triũphũ captus à Romanis abduceretur, occidere tamẽ nõ posset: ni famulus parricidiũ patraßet. Huius regis celeberrima antidotus est, quæ Mithridatios uocatur. Solitũ eũdẽ autumãt sãguinẽ anatũ Põticarũ antidotis miscuisse, quoniã eæ edũdis uenenis (ut ait Gellius) uictitarent.

CAPVT XX. DE CIBO ET MEDICINA.

Quoniam



Voniam cognoscere in quo cibi & medicamenti consistat ratio, & unum ab alio distinguere, ad institutum hoc negocium mihi summopere pertinere uidetur, ideo utriusque distinctiones praesenti in loco apponamus. Cibus igitur rationem habet, ut permutetur, & alteretur, & in substantiam aliti conuertatur, & ut ipsum non agat: sed solum patiatur. Hoc facere uero ea dũtaxat sunt disposita, quaecunque cum alendo substantiae similitudinem habẽt, & familiaria sunt. Si uero alterat & agit in membra, in tantum à cibi ratione discessit, & medicamentum effectum est, quibus hoc est peculiare, ut afficiãt & immutent corpus potius: quàm ipsa quidquam alterationis suscipiant. Quae uero ex toto substantiam corporis subuertunt, uenena & medicamina uenenata nominantur. Ergo quaecunque res cibi & alimenta dicuntur: in tantum alimoniam corpori praebent, non in quantum illud calefaciunt, uel infrigidant, uel humectant, uel desiccant: sed quia totis substantijs & elementarijs cõpositionibus similia sunt alendis membris, quae nutricationem sentire debent. Horum uero magna latitudo est. unde & ciborũ ingens differentia. Cognoscere tamen debemus, quòd tam cibos qui alendo sunt, quàm medicamenta quae corpora alterant: simplici ratione inuestigare impossibile est. sed in hac una re diuturnae experientiae, & rebus longo usu probatis inhaerendum est. Nam nisi prius in corpus ingeramus, si substantias corporibus cognatas uel aduersas habeant, scire sane non possumus. Vnde homines cũ omnia partim utilia: partim noxia non sine uitae periculo experirentur, tandem multo aeuo quae nobis essent familiaria, quae nocua, cõstituerũt. Sed & singuli homines ipsi sibi quae propriae temperaturae tuendae prae caeteris alimenta conueniunt, tempore procedente discunt, & reperiunt.

CAPVT XXI. de alio quorundam errore.



Plerosq; uideo falsos, qui loca uariare rerum proprietates opinãtur: sed ueritas non ita habet, ut enim ex locorum differentijs intẽdi, & augeri, uel remitti proprietates poßint, non tamen eas permutare in totũ aut praebere ualent. Nam quaecunq; res sunt eiusdẽ speciei, etiam easdem proprietates (quas specificas uocant) obtinent, loca autẽ materiae rationẽ sortiũtur, materia uero speciem permutare nequit, ergo nec proprietatẽ peruertere ualebit, arbor enim Persica cũ in Perside comedẽdo nõ esset: in AEgyptũ trãslata esui apta facta est, nõ tamẽ speciẽ permutauit. Similiter lactuca perpetuo infrigidat, quocũq; in loco nascatur, & nasturciũ semper calefacit: quãuis magis & minus pro loci mutatione. nunq; tamẽ naturã alternant, ut hoc algorem, illa feruorem faciat. Sentiendũ tamen est pro uarijs locorũ dispositionibus

cælesti influxu concurrēte, proprietates uel intensiores, uel remissiores fieri, quod & in alijs quoq; omnibus tralaticium est.

CAPVT XXII. DE SVPER purgationibus.



Edicamentum purgatoriū quamuis unica proprietate polleat, qua determinatum unicum sibi familiarem humorem respicit, & attrahit, contingit tamen sæpissime, in superpurgationibus uocatis (quas hypercathárses Græci uocant) quod fit cum purgatio longiori temporis spatio quàm ex usu esset, aut res posceret, producitur, ut non solum humor familiaris purgatorio medicamento educatur: sed etiā num alieni: quibus cum nullam naturæ, & similitudinis cognationem habet, excernantur, cuius rei ratio talis assignanda est. Medicamētum exhibitum si fortius, & ualidius est, quàm ut cohiberi possit & dispensantem corpora facultatem uincit, in oscillis uasorum & uenarum ex iocinore ad uentriculum peruenientium, manens in uentre: postq; proprium iam humorem attraxit, continuam & assiduam mordicationem, & irritationem facere non quiescit: quæ cum uellicationē (ceu quodam stimulo aut tabano nimium urgente) sustinere nequeant, indolescunt, & ægre ferunt, & facile effluere sinunt, quod contegunt, non secus ac ex dolio pertuso intus contentus liquor effunditur, atq; in hoc propemodū res ita ferme uenis usu accidit: perinde ac uentriculo contingere cernimus. Vt enim uentriculus cum ab acritudine, & uitio noxiorū succorum, uel in alueo eius innatantium, uel in tunicis & osculo eius infusorum infestatur: protrudere mox conatur, uel per uomitiōes: si quidem quod nocet, & damno afficit: sursum regurgitat, uel se comparat, ut per imam aluum deorsum expellat: si quidem ad eius imas partes contēdat, nō secus uenæ sustinere demorsus illos, & uellicationes quibus irritantur, non potētes, elabi atq; ueluti ex manibus effluere, & auelli patiuntur humores: quos intus cōtinent. Accedit ad hæc imbecillitas uasorū quā tum quia affatim demulgentur, & assiduis suctibus à medicamento exhauriuntur, tum quia intemperiem incurrunt, subire eas est necesse: intemperies autē lædere functionum munera potest, in hanc autem deueniunt, quoniam nimiam propter euacuationem fatigantur, & lassitudine tentantur, & plus satis calescunt. Quid quod & oscillorum apertio qua humoribus facilis patet exitus (anastomosim Græci uocāt) non modicum quid adiuuat, quòd medicamēta non solum proprios, sed & alienos humores euacuant, hæc autem propter uim & fortitudinem medicamenti contingit. Porrò in superpurgationibus talis ferme ordo obseruari solet. Primo namq; humor peculiaris, & proprius purgatorio medicamento quod trahit, educitur: deinde

reliquorū

reliquorum singuli prout de tenuitate, uel de craßitudine habent. Nam ut quisque tenuissimus maxime est, ita imprimis cum superabundat purgatio: excernitur. Siquidẽ igitur medicamentum pituitam purgare sit natum, hanc primo cõuellit, mox flaua bilis sequitur, mox atra, & tandem ultimo sanguis demittitur, hunc enim natura ut pote amicissimum retinere maximè, & recondere nititur, quoad in tãtum imbecillitatis & laßitudinis: retentrix facultas, & natura perueniat, ut quum iam eum sarctum tectum custodire, & cõtegere non possit, uicta fatiscat, & uolẽs nolensque tradat, & inuita effundi ægre patiatur, cum tanquam animali iam mortuo ex uenis perinde ac ex rimarum pleno uase profluere cruor cognoscitur. Si uero bilem à proprietate substantiæ medicamentum purgatorium trahat, & expurget, hanc ubi purgaße duxisseque contigerit, primum deinde pituita, post atra euacuatur, cum purgatio, & tractus humorum ultra debitum tẽpus à pharmaco, & purgatorio præsidio perdurat, ultimo sanguis egeritur, hoc enim semper obseruandum est. Si autẽ atra bilis à medicamento imprimis trahatur, quia illã similitudine substantiæ respiciat, si purgationis opus superextendatur, à principio flauam, deinde pituitam euacuatam, & per sedem excretam uidebis. Ergo quòd medicamenta non solum sibi competentes humores educi faciant, sed etiam num eos quibus cum nullam communionem substãtiæ habent: has tres causas reddere imprimis oportet: scilicet uellicationem medicamenti, & oscillorum apertionem, & uasorum imbecillitatem. Nã cum pharmaci morsus & uellicatio, & irritatio titillatioque perseuerant, & uenarum quibus humores continentur oscilla hiantia & patula extant: & facultas retentrix adeo imbecillis & debilis facta est, ut sustinere amplius lassitudinem non ualeat: effluere quæ intus cõtinentur: & reffundi prorsus utique omnino, & in totũ est neceße. Quòd uero secundum ordinẽ prædictum educãtur, tenuitas, & crassitudo pro causa cẽseri debet.

CAPVT XXIII. IN QVO AVICENnæ ratio contra Galenum peßundatur.



NOn poßum sine risu Auicennæ rationem transmittere, qui Galenum friuola quadam ratione fretus cõuellendũ sibi persuasit, quòd attractiones fieri dixerit, ob similitudinem in substantia attrahentis ad attractum, nãque si hoc eßet uerum (inquit) sequeretur inde: quòd medicinæ purgantes quæ à proprietate quosdam certos humores respiciunt, eandem uim insanis obtinerent, quam in ægris ostendunt, sed cum eos qui integra sanitate fruuntur, multam adeo noxam contrahere cõstet, si quodpiã medicamẽ purgãdi ui præditũ aßumãt, iuxta illud Hippocratis. Sana habẽtes corpora medicinis purgantibus uti difficile & operosum est, hinc ergo sequi uidetur, (inquit)

(inquit) quòd commentitia illa est medicamenti trahentis ad humores similitudo. Sed enim uiro indigna prorsus ea ratio est, quòd enim sani non purgentur ideo est, quia humores nec quantitate, nec qualitate peccant, nec uirtuti eam grauitatem obducũt, ut eos uirtus sustinere nequeat, sed cum ad nutritiões oppido sint quàm necessarij: eos mordicus (ut dixerim) & tenacissime retinet, & trahenti medicamento renititur, unde pugna inter naturam cui regendi corporis incumbit cura, & inter medicinam tumultus cõmittitur, ex qua facultas ipsa imbecillior reddatur necesse est. Huc adde quòd propter actionem purgantis pharmaci, uel calefiant membra (oportet) plusq̃ debeant, uel desiccentur, uel aliquam aliam qualitatem immodicam sortiantur, unde uiribus minus ualeãt. Nam omnis immoderata qualitas (iuxta Galeni sententiam) actum propriæ uirtutis destruit. In ægris autem in quibus unus aliquis pharmaco expurgandus humor habetur, & peccat, natura ipsa superfluo grauatur, & ipsa quidem quod mœrore afficit, excernere uellet, si uires adessent, nec quidquam impedit pharmaci purgatorij functionem, ut obuiam illi ire, & porrigere manum potius uideatur: ut citius quod nocet, & naturam pergrauat à corpore extrudatur. Sani itaque læduntur (O Auicẽna) dicerẽ ego utique: qui cathartico naturæ humores familiares & nihil iniquos, attrahere totis conatibus nitantur. Contra ægri purgati emolumentum sentiunt, quia noxij humores excernuntur, & uitiosi succi expurgantur. Tãdẽ sanos ideo pharmaca non purgant, non quia similis desit illis proprietas, propter quam trahant quod in humoribus affine & familiare est. sed quia natura totis neruis, ut sese opponat, reluctetur, quod non contingit in ægris.

CAPVT XXIIII. IN QVO QVORVNdam contra Galenum rationes ponuntur.



Edici omnes iuniores, quorum præcipuus dux & assertor est Conciliator (quem dicunt) uix æquo animo deuorare sustinent, ut quod Galenum frequentissime dixisse, & sensisse ostẽdimus: cõplexio substantia dicatur, unde multas rationes inuenerunt, & studiose exaggerant, & accumulant, quibus complexionem esse substantiam impossibile ostendãt, ex quibus nos aliquas in quibus maior uis est, adducemus, ut q̃tum in hoc toto (quod aiunt) cælo aberrent, & disdiapasôn (ut in prouerbio musicorum est) hallucinentur: innotescat. Nam desipere prorsus, & labi, & non recte sentire eos necesse est, qui à Galeni tramite & doctrina deuij & præcipites feruntur, nõ secus quàm qui in luce nõ ambulant, ut in Cymmerijs tenebris uersentur, omnino opus est. Nam primo (aiũt) certum est ex qualitatibus nõ autem ex quãtitatibus elemẽtorum: complexionem fieri, sed ex nõ substãtijs substãtiam gigni

nõ

nō licet, nō ergo complexio substātia est. Adhæc (inquiunt) complexio innata permutari potest, sed hoc substantiæ nō competit, patet ergo complexionem non esse substantiam. Præterea sic arguunt, complexioni complexio alia est contraria, ut complexioni calidæ frigida quæ est, repugnat. substantiæ autem nihil aduersari ex dictis philosophi in Categorijs cōstat. Iam uero (quam omniū palmariam rationē arbitrantur) in hunc modum insurgunt. complexionem intēdi & remitti nihil uetat, & suscipere magis & minus nihil prohibet, quæ à substantia longe aliena sunt. hijs & alijs etiam num leuioribus rationibus adducti fieri non posse, ut complexio substantia sit: iuniores medici sibi persuadent, quapropter modos nōnullos & euasiones (me Hercules) Galeno indignas cōmentantur, quibus quamuis improprie & abusiue, quoquo modo tamen cōplexio substantia censeatur, & hoc nomine subinde appellari poßit. Sunt igitur qui dicant complexionem bifariā considerari debere, uno modo in ordine ad subiectum, & sic eße accidens de genere qualitatis, cuius propriū est ineße, uel referri poße ad operationes quas obire potest, & sic rationem substātiæ habere. Quia sicut per formā substantialē quælibet res in proprio esse constituitur, ita à complexione omnis operatio mox erumpat, non longe abest ab horum dictis Apponensis: qui ad hūc modum complexionem substantiam dici poße autumat, quòd ab ea immediatius actiones fiant, & prodeant, quoniam instrumētum muneribus obeundis propinquius sit, quàm rei forma, & magis attingat quod agendū est sine medio, cum forma non nisi ipsa mediante temperie agere possit, complexio ergo substantia est, nō quòd (inquit) hoc nomine uere dicatur, sed quoniam ab ea proximius omnis functionum series prouenire dignoscitur, quo circa multa complexionibus accepta referuntur, quæ tamen formis principalibus debentur. Quā ob rē ueteres (inquit) calido, & frigido, & humido, & sicco, non autem nominibus elemētorum æque frequenter usi deprehenduntur, quoniam qualitates magis nouerūt, quibus functiones suas agerent, atque ideo in concreto potius quàm in abstracto eorū nominum apud eos est usus. Nihil item obstare idem asserit quo minus, per usiam (quod nomen substantiam disignat) eßentia accipi debeat, ita ut cum substantia à Galeno dicatur, nos essentiam intelligamus, quod in alijs quàm plurimis dictis Galeni item intellectum iri opræprecium eße ait. Nā Galenus posita diffinitione medicinæ quòd est scientia sanorum, ægrorum, & neutrorum, dixit eam diffinitionem esse substantialem, & terminos qui in ea ponerentur à ratione substātiæ sumptos. Adhæc signa quædam à substantialiter inhærētibus à Galeno sumpta uocātur, cum ea à quibus sumātur substantiæ non sint. Ægritudinem quinetiam Galenus substantiam nuncupare sepicule (inquit) deprehenditur, quæ tamen substantia non

est

est, sed qualitas quæ adesse & abesse subiecto non pereunte potest.

CAPVT XXV. IN QVO QVAEdam aliorum obiectiones contra Galenum ponuntur.



QVidã alij infœlicius nati quàm Hercules, quem quarta Luna natum ferunt, Galenum duro & impudẽti ore calumniari sustinẽt, quòd atractiones propter similitudinem in substãtijs committi fuerit causatus, quæ namq; præ mentis imbecillitate ignorãt, & satis assequi, & intelligere non possunt, ad carpendum, & obiurgandum, uitiumque illis obtrudendum sese conuertunt, longe utique alieni ab illo egregio Galeni proposito, cuius præclara sententia est: ut si quidquam in doctorum & ueterum libris scriptum inueniamus, quod falsum appareat, & non satis palato faciat, ut non confestim sententiam proferamus: sed more ephecticorum & Pirrboniorũ philosophorum calculum suspendamus, & nos ipsos potius, qui non recte satis assequamur, quàm auctorem falsum existimemus, quod Galenus utique fecisse cognoscitur, qui cum ab Hippocrate scriptũ esset: uaricibus superueniẽtibus caluitiem cessare, & iterum redire capillum, quod in propatulo est falsum, per phalacrosim, hoc est caluitiem, tineam & capillorum defluuium ab humorum uitio & acritudine intelligere, quàm damnare Hippocratem maluit. Ergo quæ Galeno uitio danda, & obijcienda arbitrantur talia ferme sunt, stat enim (aiunt) quòd bina & plura medicamenta, unum & eundem humorem trahendum respiciant, sed non est, ut talia in substantiarum similitudine conueniant, ergo Galenus non recte sentit. Ad hæc sic obtrudunt, usu frequentario ita euenire cognoscitur, quòd unum & idem medicamẽtum purgatorium binos humores educat, ut aloe pituitam, & bilem, & complura alia quæ uarios corporis humores, & longe diuersos, per sedem & imam aluum excernant, sed dicere non licet, quòd cum humoribus substantijs, & qualitatibus, differentibus: subductorium pharmacum conuenientiam, & similitudinem in substantia habere dicatur. Præterea perperam facere Galenum contendunt, & litigant, quòd uehementiam in pituita purganda, grano Gnidio: quàm hortẽsi croco maiorẽ inesse scribat propter uehementiam caloris, cum medicamentorũ purgatio nõ calori: sed tẽperamẽtis accepta referri debeat. Iam uero quàm plurima sunt (inquiunt) quæ tãetsi in substantijs, & accidentibus similitudinem illam toties decantatam obtineant, & tamen ne quidquam complexus illos: & implicatos tractus exercent, ex quibus (ut aiunt) opinionis falsitas aperte refutari uidetur. Rursus medicamentum humorẽ trahit, & Herculeus lapis ferrum inducit, ut se sequatur, quia licet temperamentorum substantia utrobique similis offendatur, in trahentibus tamen sit maior. Ergo

si

si ita cõtingit (ut Galenus refert) quòd ex similibus id quod est potentius altero, trahat illud, mox utiq; (aiunt) sequeretur, ut si ea quæ trahunt, trahentibus facultate & uirtute æquata esse contingat, ut nec magnes ferrum: nec humores purgantia medicamenta traherent, quod dictu absurdum est. Hæc isti contra Galenum barbarica uoce, & simplici rudiq; stilo balbutientes, improba subtilitate garrulari, & obgannire rictu canino consueuerunt, quorum impudentiam facile quiuis uel mediocriter in Galeno institutus, retundere possit, nos ad institutum properamus

LIBER TERTIVS: ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS DE OCCVLTIS PROPRIETATIBVS.

PROHOEMIVM.



OSTQVAM IN DVOBVS LIBRIS præcedẽtibus in uniuersum de proprietatibus quid essent, & à quo producerentur (quatenus fieri licuit) præstrinximus, nõnullis interim erroribus patefactis, & falsis quorũdam opinionibus explosis, nũc quod reliquum est, in tertio huius operis commentario in animalibus, in animalium partibus, in plantis, in herbis, in lapidibus plærasq; proprietates repertum iri ostendamus: quæ miros effectus producere possint. (nusq; enim natura ociosa est) & ad singula & particularia descendentes, de hijs (quæ generatim docuimus) agamus: operæprecium est. Sic enim doctrina absoluta, & omni ex parte perfecta efficitur: cum à superioribus ad inferiora, & ad specialia à generalibus descensus fit, & cum quæ in totũ methodo, & uia singulari disputata fuerũt, ad priuatam exercitationem accommodantur. Sed quoniam per singula animalium genera exploratissimas proprietates reperiri cõstat, ex quibus experta & salubria morbis remedia expetantur, & in mortiferis serpentibus uenenorum uariæ & multiplices ideæ reperiantur, unde mortale genus insidias patiatur: nonnullas in modum exempli (namq; de omnibus dicere opis nostræ non est, nec ad præsentem operã adeo spectat, ĩ qua quæ nãres esset proprietas: dũtaxat ostẽdere polliciti sumus) proprietates

tates: & certa quædam præsidia quæ in animantium naturis & uenenatis offendere licet: adducemus.

CAPVT PRIMVM.



Nimalia & animalium partes, & partium particulæ, mirabiles proprietates habere deprehenduntur, uel ad certos morbos curandos, uel ad noxam medicamentorum uenenosorum remouendam: quæ quoniam Galenus in libro de theriaca ad Pisonem laboriose, & diligenter prosecutus est: ideo totam eius dictionem, ut inquirendi nullus sit labor: à nobis translatam subijciemus. Multas (inquit) partes innumeros morbos mederi nouimus euidenter. Nonnullos capita murium iuuant, ut quæ in cinerē redacta, & ex melle inuncta alopetias probe curare poßint. Milui quoq; caput non minus podagricos, hoc est eos qui sunt pedibus ægri adiuuare fertur, si quis ex ipso probe siccato sine alis (quantum tribus digitis capere poßit) in aquam inspergens propinandum dederit. Sed & partium ipsæ partes dūtaxat, affectus quosdam integre persanare queunt. Nam cameli cerebrum siccatum, & ex aceto potum comitialibus medetur. Idem & cerebrum mustelæ facit. hirundinis autem cū melle illitum ad suffusiones confert. & pari modo præparatum caprarum cerebrū puerorum dentitionibus extreme prodest. cornu autem taurini ramentum cū aqua potum, sanguinis fluxiones sistit: & femora quoq; usta sanguinem retinent, hoc idem sæpissime & solutam aluum compescit. Iam uero ceruini cornu scobem ustam, & cū uino leuigatam locoque emplastri modo appositam dentes concußos & nutantes cō firmare certū est, quod & bouis talus etiā præstare creditur, educit autē: & ualēter tineas teretes expellit, si ex melle bibatur, & lienes liquefacit ex aceto mulso datum. hoc idem inunctum uitiligines emendat, & moderate ad uenerem irritat. Castoris autem hoc est fibri animalis testes simili more potati, conuulsionibus opem ferūt. Multa præterea animalia, & fella habent, ex quibus præsidium homini salutare petitur, quin & medullas, & adipes, & ipsum cruorem. Ipsa quoque serpentum senectus remedia habet. Fimum item & stercora nonnullorum utilia deprehendimus, fimus igitur bubulus aridus exustus, tribus cochlearibus aquam intercutem curat, & muscerda hoc est murium stercus, trita sane cum aceto alopetijs auxiliatur, si sumatur autem in potu: uesicæ calculos confringit. Porro anatis adeps inflammationes sanat cum rosaceo, & medulla cerui medicamentum est, ex ijs quæ maxime dolores leuant. lac autē bubulum bibitum ijs qui difficultates intestinorum patiuntur: salubre est. fel uero hyenæ cum melle ad acute uidendum proficuū est, & suffusiones si inungatur resoluit. equi autem fluuialis coriūm combustum, & cum aqua tritum, impositum

ſitum tubercula aperit, & digerit. Perinde uero & ſerpentis pellis trita, & alopetijs admota tanta celeritate capillos enaſci facit, ut ſit miraculo res proxima. aſpidis etiam exuuiæ hoc eſt ſenium tritum ex melle, & ſubunctum, uiſum acutiſsimũ reddit, & ne multis moremur, multam immo plurimam talium rerum materiam inuenire eſt facile: quam nunc uniuerſam deſcribere tempeſtiuum non eſt, ne maior nobis quàm pro inſtituto ſermo euadat, cum ea quæ hactenus commemorauimus, abunde eius quod diximus fidem facere poßint. Illud uero non omiſerim quod nouiſſe neceßarium eſt, quòd ipſorum animalium etiam num integra (prout ſunt) corpora: hominibus auxiliandi ſæpius uim habent. Cancer itaque fluuialis tritus, & emplaſtri modo adplicatus: cuſpides & ſpicilla infixa euellit. & piſciculus (quem carida Græci uocant) pari modo contritus, & cum radice brioniæ hoc eſt uitis albæ bibitus uermes educit. Scorpius autẽ cum pane toſtus ſi comedatur, ueſicæ lapides comminuit. Ita & telluris inteſtinum cum uino potum idem operatur. Quòd ſi quis morbo regio obnoxius ipſa inteſtina terræ in mulſa conterens accipiat, mox per purgationem ſubducta aluo à morbo liberatur. Eadẽ cũ roſaceo ceroto impoſita ſæpiſſime eorum qui pedibus ſunt ægri inflammationibus profuerunt. accipiter autẽ cum unguento Suſino decoctus, obtuſas uidendi rationes ſanitati reddit. Nec non ſcarabeus dolores auriũ ſedat oleo deferuefactus, & aſſidue inſtillatus in aurẽ. Corydalus uero auicula aſſa in cibis ſumpta colicos affectus ſæpiſsime iuuit admiranda ratione. Et ut facultatem (quæ totis ipſis corporibus interdum ineſt) magis habeas quod admireris: illud tibi enarrare certatim contendam. Plurima ſunt quæ uiſa duntaxat proprium robur, & facultatem quam nocendi habent, demonſtrant. Ergo ſtellio hoc ſolum quòd ab ſcorpijs uideatur, ipſos tanq̃ glatie quadam congelat, & ita perimit, amphiſbena autem (eſt uero biceps hoc animal: natura ipſi bina habere capita ob ſubſtantiæ copiam ſuperfluam concedente) hoc inquam animal (ut ferunt) ſi mulier in utero habens pertranſeat, male deijci per abortum conceptum cogit. Hactenus Galenus quæ ſegnius ſcripſiſſem, niſi Galenus referret, cui non credere nephas & piaculum eſt.

CAPVT SECVNDVM.



Illud hoc quoque in loco referẽdum eſt, quod omnia miracula uincere uidetur, nã quis dubitet eſſe omni admiratione maius, quòd illatas plagas & uirulentos morſus eadẽ animalia ſanent, quæ ipſamet indiderunt, ita tamen experiẽtia fieri comprobatum eſt. Crocodili adeps (q̃uis ſit ipſe crocodilus morſu lætalis) uulneri impoſitus auxiliatur. Mus autẽ arachneus necem infert mordẽdo: ſed præbet uulneris auctor

ctor remedia: si tritus ad percussum locũ admoueatur. Eos qui à uiperis sunt morsi: uis fortißima mali mori celeri lœto compellit, sed harum corpora imposita & trita exitium prohibent. Nam tanta uis in ueneno uiperæ est, ut nisi quis tempestiue succurrat, frustra manus sero admoliatur. Quidã rusticus (inquit Galenus) à uipera percußus, digitum totum mox abscidit, & colligauit, non ignarus quàm cita mors diffunderetur, uno artu carere potius eligens: quàm totum corpus concedere in mortem. A phalangio morsis eadem phalangia ex uino pota succurrũt. Cantharides inter uenena numerantur, quòd eas si quis deuoret, corrodant, & ulcerent uesicam: & sanguinem per mictum agentes perimant, earum tamen modicus usus sine periculo est, quòd medicamenta ad uesicæ dirigãt meatus: quæ hãc sanare possunt. Adeo multa id genus reperiuntur, quæ si quis à naturalis proprietatis uirtute procedere dicat, is mea sententia haud admodum hallucinetur.

CAPVT III. DE ALIO QVODAM mirando effectu.



On esse magis nouum nec inopinatũ existimari debere quidã prodiderunt, ita nãq; usu & re ipsa exploratum eße aiũt, quòd quos plæraq; animalia contacto sanguine interimant, eosdem ubi cruorem non attigerint: sanare poßint. Helenio (ut scribũt) Daci & Dalmatæ populi innocenter in dapibus uescuntur, eodẽ tamẽ consperso lœtales sagittas inficiunt, & illitis eo telis animalia uenatu perimunt, & occisas ceruos comedentes, nil ipsi nocentur, quia aliud lõge est, si uenenũ uel quæcunq; res alia in sanguinem, & uenas perreptet, uel integrũ deueretur in uẽtrẽ. Quin & hijsce tẽporibus aucupes & uenatores, ex ueratro siue helleboro cõficiũt medicamẽtũ præsentaneũ, & celeritate necandi superãs oĩa uenena. hoc lætales sagittas inficiunt, & damas syluestresq; capreas occidũt. Hoc ueneni genus si gallis siluestribus, uel gallinis domi nutritis: ad deuorandum obijcias: nihil nocebis, sin autem acum eo medicamine inunctam per crus uel pedẽ traijcias, ita ut sanguinem prolicias: mox uelocißima mors sequitur, cum conuulsionibus corporis totius, & oculorũ, cuius rei ea fortaßis reddi ratio potest, quia cum id uirus deuoratur, propter caliditatem quæ est in uẽtriculis illorum animalium, & propter longißimam à corde distãtiam uis ueneni resoluitur, nec ad cor penetrare potest, at uero cum sanguis per puncturam eo ueneno afficitur, propter communionem quæ est inter uenas & arterias, cum corde, dicto citius ad illud ueneni facultas permeat, & uitam prosternit.

CAPVT QVARTVM. de serpentibus.

Quid



Vid serpentum totum pestiferũ genus (quæ multifarias per tormenta mortes agũt.) referã? basiliscus hoc est regulus subfuluo capite est serpens: inq; eo ternos aut quaternos apices, & eminentias coronæ modo habet. hic uel uisu solo conspectus, & sibilo interimit, propterea alijs animalibus eius occursus piacularis est, & procul agunt serpentes: sibi exitialis ueni ni consciæ, & uel mortuum cadauer contingere uerentur. quercinus serpens qui in quercuum radicibus uitam agit, adeo præcipiti ueneno est, ut si quis duntaxat præmat: pedes protinus excorietur, & mox illi crura mollibus tumoribus enatis inflentur, & quod in admiratione magis ponendũ est, si quis ad medicandum accedat, eius quoque manus excoriari aiunt, odora omnia fugiũt, fœtidis & graueolentibus delectãtur. hæmorrhois perinde acsi unico uulnere totum confecisset hominem: per nares, per ora, per totum corpus sanguinem erumpere ubertim faciens: ita perimit, lœto nomini congruo. acontion hoc est iaculum serpens leuiter extendens caput, tanq̃ sagitta ab arcu emissa, uel missili contorto assultans: morsu diram conuibrat necem. aspis quæ ptyas, hoc est conspuens nominatur, sputo lœtum adducit, sed sensim prius collum porrigens, (perinde ac si animal rationale sit, & interuallum dimetiatur) antequàm conspuat, nil aliud sane cõspuit quàm mortem. Homo item saliua oris scorpios interficit, si ieiunus in eos conspuat, sed & morsus quoque & excreatus est hominis homini lœtalis.

CAPVT V. DE VIPERA.



Ipera omnibus uirus iaculãtibus minus infesta est, uenenum tamẽ & hæc habet, sed non adeo rapidum, ut aliæ serpentes, ex hac pastilli & trochisci, id est orbiculi quidam theriaci conficiuntur, qui theriacam antidotum componunt, qua nihil omnino efficatius, nihil ualentius cum aduersus omnia uenena, tum præcipue uiperæ reperitur. Vnde non iniuria à posterioribus dubitatum est querentibus, quo pacto ex uiperarum carnibus cõpositum medicamẽtum adeo exitiale non esset: ut Pæoniã etiã num opem polliceretur, cui dubitationi uelox occurrit Galenus dicens eam rem accidere merito, & nequaquam miram & absurdam existimari debere: reputantibus, quòd maxima earum pars confectionem pharmaci non subeat, sed tum caput in quo ueneni potissima uis est, tum cauda ad quatuor digitos cum interaneis omnibus abijciantur. reliquæ uero carnes probe ex multo oleo, & sale, & anetho, prius condiãtur & macerentur, tandiuq; coquãtur, quoad ueneni noxa recedat, & tandẽ ab innumeris alijs rebus pharmacum hoc ingredientibus: uiperarum carnes malignittatem omnem amittere, ex quibus omnibus forma quædam specifica, hoc est proprie-

tas resultet in theriaca: qua uenenis omnibus sua occulta facultate aduersetur. Porro abijci ideo caudam, quòd hæc colluuiem omnem, & sordes, & excrementa corporis totius ad se contrahat propter frequētem motum. Propterea piscium caudas suauiores, quòd assidua concussione exerceantur magis. Caput autem ideo tāquā inutile abscindendum, quòd in hoc (perinde ac in mām̄illis lac cuditur, in parastatis, id est uasis seminalibus semen laboratur) uenenum in uiperis potissimum efficiatur. Viperas quoque capite coire aiunt: à fœminis autem libidine coeundo accensis: uirorum capita mordicus abscindi, natos matris corrosa aluo, paternam ulcisci necem, atque ideo uiperam dictam, quòd ui pariat: quod in hunc modum eleganter à Nicandro describitur.

Vipera seua caput lœtali dente mariti,
Mordicus abscindit, sed nata è semine proles
Viscera dilaniat matris: lucemque requirit,
Sic patris interitum sub primo ulciscitur ortu.

Porro mas à Græcis echis: fœmina echidna nominatur.

CAPVT SEXTVM, DE quibusdam hominibus ueneno resistentibus.



INsunt insignes & peculiares quibusdam hominibus proprietates: quas propter uenenorum nocumentis resistant: & primum in hunc ordinem Marsi Italiæ populi singulari omnium scriptorum elogio relati referantur: solo contactu serpentum ictus leuare soliti, & manu imposita uenena extrahere à corpore, quibus hoc singulari, & prope diuino fuit munere concessum, ut non solū ipsi à uenenis non læderentur, aut illorum pernitiem sortirētur, sed etiam alijs sic affectis mederentur. Nam ijs (ut Gellij uerbis utar) genitali quadam ui datum est, ut serpentum uirulentorum domitores sint, & incentionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula. consimili ui præditam esse Psillorum in Aphrica gentē exploratissimum est, quorum super tam miranda uirtute ita Plinius septimo naturalis historiæ scriptum reliquit, similis (inquit) in Aphrica gens Psillorum fuit: horum corpori ingenitum fuit uirus exitiale serpentibus, ex cuius odore sopirent eas, mos uero liberos genitos protinus obijciendi seuissimis earum, eoque genere pudicitiam coniugum experiundi, non profugiētibus adulterino sanguine natos serpentibus. Sed & Lucanus nono Pharsaliæ de ijs populis ita scribit. Gens unica terras,
Incolit à sæuo serpentum innoxia morsu:

Mar-

Marmaridæ Pſilli: par lingua potentibus herbis.
Ipſe cruor tutus, nullumque admittere uirus,
Vel cantu ceſſante poteſt: natura locorum.
Iußit ut immunes miſti ſerpentibus eßent,
Profuit in medijs ſedem poſuiſſe uenenis.
Pax illis cum morte data eſt. Et infra.
Ne qua ſit externæ Veneris miſtura timentes,
Lœtifica dubios explorant aſpide partus.
Et rurſus. Sic pignora gentis
Pſillus habet: ſi quis tactos non horruit angues.
Si quis donatis luſit ſerpentibus infans.

Quid quòd in eadem Aphrica dicente Plinio familias quaſdam effaſcinātium tradunt, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes, Fuere & in Triballis & Illiſis qui uiſu quæque effaſcinarent, interimerentque quos diutius intuerentur, pupillasq́; binas in oculis ſingulis haberent. Iam uero quorundā quin etiam corpori partes naſcuntur, ad aliqua mirabiles. Pyrrhus Epirotarum rex pedis pollice lienoſis medebatur: cui & illud inſigne fuit ut cum reliquo corpore non potuerit cremari: quam rem Plutarchus Chæroneus inſinuat ijs uerbis. Erat quidem Pyrrhus tali uultus ſpecie, quæ timendam magis quàm honeſtiorem regiā auctoritatem oſtenderet: multos dentes non habuit, ſed ſuperior pars uno continuo oſſe cingebatur, dentium exortus exiguis quibuſdam inciſuris ſubſcriptos, & ueluti delineatos habente. Lienis autem uitio affectos iuuare putabatur, ubi gallum gallinaceum album ſacrificaßet, ſupiniſq́; recumbentibus ægris, dextro pede molliter uiſcus tangebat, nulluſque tam tenui fortuna fuit, qui medicinam (cum opus haberet) non conſequeretur, accipiebat autem & gallum ſacrificij tanq́; gratiſſimū munus. Pedis uero illius magnus digitus diuinam habuiſse naturam fertur, ut poſt funus (cum totum corpus ignibus combuſtum eſſet,) intactū & impatile ab igne inueniretur. Sed quid peregrinis immoramur exemplis? Vnus noſtrorū regū in Luſitania choeradas hoc eſt ſtrumas contactu ſanabat, non multo ante noſtram ætatem. Humani quoque capitis oſſa comitialibus priuatis rationibus medentur. Hæc omnia craſes hoc eſt mixturas iam inde & temperies à generatione contractas maxime conſequuntur. Nam quibuſdam ab ipſo primum ortu, & primis natalibus comparatum eſt, ut quaſdam res odio habeant, alias amore proſequantur, non nulli à natali conſtitutione corporis caſeum & omne lactarum opus abhorrent, alij uina faſtidiunt, & alius quis aliud, & denique unicuique aliud quid amicum, & fami-

familiare est, aliud autẽ infestum. Rursus quidam multo & humecto sanguine calentes, & tali temperatura præditi, ad Venerea tamen non sunt proni, alij multa & meraca bile turgentes, ad iram non excandescunt, quia cõstructio naturalis omni ratione, & quocunque alio superior monstratur. Has temperaturas quidam indiuiduales, quidam materiam insequentes cognominant. Sunt igitur duplices proprietates, quædã concomitantes formam: quæ omnibus quæ sunt eiusdem speciei, conueniũt, aliæ de quibus modo locuti sumus, quæ quibusdã indiuiduis peculiariter accidũt.

CAPVT SEPTIMVM, de aspide.



ASpidis uirus, uel ex eo exitialius est, quòd mox peruadit, & penetrat, & toti corpori subito uenenum diffundit, & communicat. Nam ab aspide morsis, nec ullus locus affectus, nec liuor indicat malum, uel notæ omnino aliquæ adsunt, ex quibus criminis auctor deprehendatur, adeo ut non pestifero ictu, sed uenenati pharmaci potione sublatus esse qui perijt, existimetur. diligenter tamen considerantibus gemina quædam punctula minuta, & subobscura inueniuntur, per quæ uenenum fuerit dilapsum. Causam uero quòd nulla uestigia tanti mali relinquantur: hãc esse tradunt rerum naturæ curiosi obseruatores, quòd uis huius ueneni uelocissima sit nimium, ut è uistigio in ima uitalia, & abdita se condat, nihilque extrinsicus immoretur. Vnde cum hoc mortis genere sibi mortem AEgypti regina consciuisset, uarius de eius interitu rumor increbruit, & sparsus est: quòd nulla essent certa signa relicta ex quibus causa fati colligeretur. Prædictis hoc quoque addendum est, aspidis uenenum hoc peculiare habere, quòd cum sopore profundo, & graui in somnum delatione (ita enim Græci caron & cataphoram uocant) interficiat. Proinde Cleopatra AEgypti regina, cum uenenorum omnium uires in hominibus lœto cõdemnatis experiretur: ut eo quod magis probasset: si quando sors tulisset, uteretur, inuenit quidem & didicit, alia quidem uenena quæ cito interimerent: mortem per dolores inferre, quæ uero indoloria essent, uelocitatem illam actionis qua opus esset, nõ haberent, sed demum ad aspidis uenenum peruenit, quod somnos conciliando occideret, & fratrem fratri id est somnum cum morte copularet, ut & ipsa uoluntatem expleret, & sensu doloris priuaretur. Quam ob rem cum mortuo Antonio coniuge uiuere amplius non decreuisset: & Augustum latere uellet, in cista ficuum clanculũ abductã aspidẽ, ut sibi brachiũ morderet, prouocauit. Hac de re Plutarchi uerba cõsultius adducere uisum est, ut tãti auctoris testimonijs nostra dicta cõfirmẽtur, Cleopatra (inquit) exitialium medicamentorum omnimodas facultates congerebat,

bat, quarũ singulas, ut earũ uim exploraret, si absq; dolore necare possint, ijs qui læto damnandi cohercebantur, proposuit, sed postquam eas quæ celeri morte afficerent, conspexit, quòd mortis celeritatem per dolorem inferrent, quæ uero mitiores essent, perimendi illa uelocitate carerent, ad ferarum uirulentarum uires experiundas se contulit, cũ ipsa spectante alterum alteri exhiberetur, hoc autem singulis diebus agebat. Sed enim propemodum in omnibus solum aspidis morsum inuenit, qui sine conuulsione, & gemitu, grauitatem somniculosam, & delationem ad dormiendum extraheret cum molli uultus sudore & sensuum hebetudine, qui facile scilicet dissoluerentur, & ægre ferrent, si quis expergefacere & suscitare auderet, haud secus quàm qui profundo sopore tenentur. scribit autem Galenus Alexandriæ hunc esse usum, ut eorum quos mitiori morte perire uelint, pectoribus aspides applicentur, quo subito momento uita sine dolore decedat.

CAPVT OCTAVVM, de dipsade.



E uiperarum genere sunt dipsades: quibus hoc proprium est, ut sitim uehementissimã inducant, super hac re se rogitasse Marsos: qui Romæ uiperas uenarentur: Galenus refert, si sibi uera narrare possent, an ne essent aliquæ serpentes: quæ dipsades nominarentur. respondisse illos non esse dipsadas à uiperis specie, sed locis duntaxat differentes: nam quæ in salsugineis & uicinis mari locis degerent, dipsadas appellari: ab effectu nomẽ habentes, quoniã sint dipsódeis, id est siticulosæ, quæ uero in humidis, & uliginosis locis uiuerent, uiperas dici, & non esse siticulosas. Propterea in AEgypti & Lybyes sitientis regionibus arenosis multas dipsadas reperiri, in Italia nullas: propter humiditatem loci. Nam alimenta, & diuersas uictuum rationes eorum quæ ab ijs nutriuntur, substantias permutare posse euidentibus rationibus constat: docet sane hoc non uulgari indicio Persica malus: quæ in AEgyptum ex Perside translata, omnem malitiã deposuit. In Arabia fœlici à pascuis nonnunq; armenta auelli Curtius scribit, ne soli nimia pinguitudo noceat. Cæterum qui dipsadum uenenum exceperunt, non prius bibẽdo cessant, (ut à Galeno & plærisque alijs proditum est) quàm nimio humore distenta: media illis aluus disrumpatur. Salsum, & calidum nimis admodum, considerantibus esse oportere dipsadum uenenũ uidetur. Nam salsa oĩa siticulosa esse consueuerunt, argumento marinæ aquæ quã cũ ob defectũ dulcioris aquæ: nõnulli in mari bibissent, uehemẽtissima siti cruciati occiderũt. Sed cur bibentes satiem non sentiant, sed eo magis ad pocula deferantur, & frigidum appetant: qua sitim extinguant? medicorum filij crassum esse id uirus

 tradunt,

tradunt, adeo ut potu malum amplius irritetur, eo quòd deducente aqua: uenenum dilutius fiat, & fundatur magis, & cito per mēbra deferatur. de qua re sic Lucianus in commentario quem peri dipsádon inscripsit sic ait. Porro serpentium omnium: quos arenæ alunt, grauissimus dipsas est, serpens non ingens admodum, uiperæ similis, ictu uiolentus, crasso ueneno, & dolores incessabiles confestim inducens, exurit enim & putrefacit, & conflagrare: incendioque affici committit, adeo ut uociferentur haud secus: quàm qui in ignibus iacent. Porro quod maxime eos conficit lassitudine, & uexat: ille affectus est, consimili cum serpente nomenclatura praeditus: sitiunt enim supramodum, quàm ut uix facile quis credere possit, & quod omnem opinionem utiq; longe superare uidetur, quanto plus biberint, tanto magis potū cōcupiscūt, & bibendi auiditas multo amplius illis intenditur, ita ut minime unquam sitim extinxeris, nec si uel ipsum Nilum, uel totū Histrum epotandum præbuisses, sed maiori incendio exuri hominem compelles, nimirum irrigato morbo, perinde ac si quis ignem oleo extinguere conaretur. Medici illam esse causam testantur, quòd uirus eiusce serpentis crassum cum sit: deinde si potione aspergatur, celeriter mobile euadat: cum humidius ut par est, constiterit, & multum adeo diffusum fuerit.

CAPVT NONVM, de animalibus quæ præsentiunt uenena.



Oc quoque sciendum est, ne aliquid quod ad præsens negociū spectat, relinquamus. quòd sicut est pernitiosum nobis serpentum genus: ita etiam sunt quædam animalia quæ uenenum suapte natura præsentiant, & si alicubi domi abscondita iaceant, effodiant, & non prius quàm locum significent & inueniant, desistant. de qua re apud AEtium medicum libro decimotertio scriptum inuenias: nomine citatis auctoribus ne fides uilior habeatur. Piso inquit perdicem qui domi nostræ alitur, uociferari, ac clamare, & lacerare cortem, in qua perdices connutriuntur: ubi senserit medicamentum quodpiam lœtale, aut aliud uenenum intra edes parari. Menelbus autem, aquila (inquit) intra edes connutrita ob os insilit, & arcet eos, qui talia moliuntur. Simonides pauonem tradit cognito apparato medicamento ad locum prodire, & clamare, seque expandere, & medicamentum ex uasis effundere, aut etiam effodere, si quidem sit sub tellurem deffossum. Pherecides autem refert psitacum masculum obseruare, & arguere, & nominatim deferre eos qui talia faciunt, aut in domum important.

Presentit venenum perdix

Aquila

pauo

psitacus

CAPVT DECIMVM, de morsu canis rabidi.

Multum



VLtum immo uero plurimũ subiecti quod actionẽ agẽtis suscipere debet, aptitudo & habilitas cõfert, ut ipsum agens operetur. Ego sane quidem dico, quòd non calor, nec frigus, nec candor, nec nigredo, nec raritas partium, aut subtilitas, aut dẽsitudo, uel aliud quidquam tantum quãtum substantiæ similitudo facit: quæ est in passo, ut in eo actio recipiatur. Sed ut ad propositum redeamus, cum innumera pene sint animalium genera: qualiter non summopere mirum est, quòd soli canes ob innatũ suæ cras eos temperamentum, rabie corripiantur, deinde uero quæcunque momorderint, omnia rabiũt, & rursus si qui sunt morsi, alios morsu impetierint, etiam num rabiẽ incutere possint? Ælianus & Aurelianus scriptores grauissimi tradũt, quòd sartrix quædam dũtaxat, quòd uestem dentibus extendisset, quam canis rabidus diruperat, in hãc affectionẽ uenerit. Ita scilicet malũ hoc ueluti cõtagio quodam serpit, & tanquam quadam successione traditur. Quicunq; canis rabiẽ experti sunt: in aquarũ metum incidunt, nisi probe curentur, & quod omnes admirationes superat, quòd (ut Dioscorides & multi alij testantur) nullum diffinitum tempus est, in quo aquam abhorreãt, sed ut plurimum ad quadragessimum diem accidere consueuit, ijs uero qui negligentius sunt curati, & post sex menses redijt aquarum metus, quibusdam & post annum obuiauit: plæriq; autẽ scribunt, quòd multi in hanc affectionem à septimo anno quo morsi fuere, concesserunt. Quæ qualitas (obsecro) à cane impressa tãto tẽpore cõseruari potuit? uel quo pacto affectionis uestigia per tam longũ spatiũ infixa remanserunt? Sed cur aquas: in quibus solum præsidium positum habent, expauescant: quos canis furore captus momordit, hoc discussione dignum est. Ruphus opinatur ideo hoc fieri, quòd siccissimus affectus hic sit: & sicca duntaxat appetere cogat, aquæ autem liquidæ sunt. Alij autem ideo aiunt, quòd uultus totius ruborem, & gestus deformitatem, & toruitatem aspectus, in aquarum leui superficie contemplati, ad eas propterea accedere uereantur. Alij (quos Paulus recenset) arbitrantur, quòd hæc affectio sit quædam melancholiæ species: per quam humidum omne odio habeatur. Nam morborum qui ab atra bile proueniunt, & furorum: non una, sed pene innumeræ sunt differentiæ. Quidam obuios quosque declinant, fictilia uasa se esse credentes, & cauentes ne confringantur, alij gallorum uoces emulãtur, & expãdũt brachia, ut cũ cantibus aurorã galli cõpellant. Cũ ad quẽdã inuisendum Galenus se cõtulisset, insomnẽ tota se nocte uigilasse asseruit, rogatus causam cur id fecisset, respondit per noctem cogitasse ne Athlas cuius humeris cælũ præmitur, se subtraheret, & cuncta tanta ruente mole perirent. Non absurdum itaq; esse Ruphus Ephesius opinatur, talem quandam melancholiæ, furorisue, maneriem inuentũ

iri, quam qui habeant ab aquis (quamuis sitiant, & ora præ siti arida gerant) ab fugiant. Sed tamen uero magis consentaneum est, quòd catulorum similitudinem in aquis cernunt, unde contingere eas metuũt, quamuis siti ingenti crutiantur. Vnde quidam forti animo præditus philosophus, cum canem nihil commune cum balneo habere dixisset, confidẽter balneum ingressus, & timorem uicit, & curationem audatia recepit. Quòd autem solos canes sentire rabiem dixerim, ne quis me carpat, audiat Galenum dicẽtem sexto de locis affectis in hũc modum. Discere (inquit) in canibus possumus, quantam uim habeat ad patiendum quid aptitudo, cum nullum ex cæteris animalibus rabie corripiatur, hoc solum corripitur, & tanta in eo fit humorum corruptio, & peruersio, ut uel eius saliua si in corpus humanum incidat, rabiem operetur. Sed & Iullius Pollux de morbis canum agens ita scribit. Omne quod à cane rabie habito ictum fuerit, occidit: homo autem solus nõ sine periculis liberatur, quæ uera mihi expositio esse uidetur uerborum Aristotelis in libris animalium ubi ita ait. Facit rabies canibus furorem, & omnia quæcũque momorderint, omnia intereunt præter hominem. si enim recte satis intelligatur, hoc uoluisse Aristotelem existimandum est, quòd nullum aliud animal mortem euadat, postq̃ lætali canis dẽte sauciatum fuit, homini autem per præsidia succurri, & adhiberi medela possit, cũ reliqua animalia ut pote ratione carentia medicinæ beneficium experiri non queant. Porro scire operæprecium est, quòd non solum in uehementissimis caloribus: sed & in intẽsis frigoribus (ut Lycus etiam opinatur) canes rabie infestari consueuerunt, quod admonere mihi uisum est: ne quis solo calido in furorem agente, canibus immitti furorem arbitraretur. Sane exploratissimum est, quòd si quis à cane rabido morsus, uel hunc à quo percussus fuit, uel alium demorsum intueatur, malum accersit, & in rabiem & furorem magis accedit, siue quòd metuant ne similes casus patiantur. siue quòd imago illorum in mente impressa, ad illorum conspectum quiescere non sinat, sed (quod aiunt) exulceret morbum. Hoc & in aliorum animaliũ ictibus euenire etiam dignoscitur, Quorũcunq; enim ictus exceperunt, ijs uisis magis irritãtur. Vnde admiratione ingenti non caret, quod ab Hebræorum fortissimo duce Mose gestum est, nam cum impius in deum populus, igneis serpentibus immissis: passim miseranda clade consumeretur, diuinis monitis gentem miseratus Moses, æneum serpẽtem erexit, quem conspiciens intentis oculis, a præsentaneo malo (quamuis ictus iam foret,) euaderet, cum tamen ut non minus perirent, magis consentaneum esset. Sæpissime enim diuina prouidentia (quod se facturam disposuit) per cõtrarias causas molitur, ut intelligamus nihil illi summo & omnipotenti deo obuiam cõtra ferri posse: quo minus ad statum finem perducat, quodcunq; uoluit: cum inanimis etiam, & ui

ta

ta carentibus, & (quod magis est) rei faciendæ oppositis, tãquam auxiliaribus utatur: ut uel opem afflictis ferat, uel in aduersarios immensæ potestatis insiliat, & ulciscatur. Sic Moses idem in amaras aquas iniecta rhododaphnes uirga, qua comesta iumenta pereunt, eas dulciores effecit. Sic Heliseus indito sale, latices qui potando non erant, ut essent potabiles, reddidit, cum salis in aquam iniectio usum aquæ marinæ præstet. Eodem modo Ezechiam regem ægrotantem corporis scabie, ficuũ emplastro adhibita Esaias curauit, cum curationi ficus repugnarent, nam & pruritũ mouent, & acria excrementa totius ad cutem agitant. In omnibus ijs ut diuinißimũ creatoris robur, qui de nihilo ad eße res cunctas perduxit, magis innotesceret, sibi quodãmodo uim fieri natura paßa est, sed hæc obiter & parergos.

CAPVT XI. DE CRETA INSVLA.



PEculiare & inter cæteras urbes ægregiũ terra Creta sortita est, & deorum donum mirificum, quòd nullum noxiũ animal, quod ueneni uirus iaculetur, in ea nec nascatur, nec in eam insulam delatum uiuere poßit. Si quodpiam aliunde inferatur reptile, mox occidit. proinde præstigias qui agunt, ut plebem indoctam circunscribant, in terram quam secum aliunde afferunt, serpentes cicures uiuos in Creta exponunt, ut rem miram ostendãt. Forte aliquis eiusce rei causam arbitretur, quòd medicarũ herbarum copia ea regio feracissima sit, quæ ui innata serpentum, & uenenorum noxam non patiantur. Namque (ut Galenus etiam testatur) immensa herbarum omnium materia Romam ex Creta singulis annis afferebatur. Hinc dictamum Dictea ex Ida Venerem legisse poetæ testantur. Nam & quæ alibi proueniunt, Cretenses herbæ efficatia superant. In eadem noctua nulla est, contra in Attica tellure immodica earum uis est, unde prouerbio ridentur, qui noctuam Athenas comportant. Aphrica tellus monstra indies innumera parturit, & portẽtorum est parens, animalibusq; exitialibus scatet, unde semper noui aliquid afferre ab auctoribus perhibetur. Hoc ideo prouenire, & ita usu contingere credunt, quòd propter aquarum inopiam: animalia longe diuersarum spetierum, ut ex uno bibant fonte, conueniant in unum locum & simul Venereo complexu misceantur.

CAPVT XII. de animalibus quibusdam interse inimicis.



NVnquam naturæ admiratio ceßat, aut ferias agit, sed per arbores, frutices, herbas, & quæcunque in aere, in undis, in tellure degũt, & si quod est aliud entium genus diffusa, similitudines rerum, & dissimilitudines amicas & inimicas committit, & nunc ne naturæ omnium parẽti deeße uideamur, quam tot miracula edere non pœnitet paßim, nec nos pigeat breui sermone

ne præstrĩgere, quæ natura uel inimica, uel inter se cognata passim genuerit. Nõ solum quippe animalia in hominem conspirare natura fecit; nec duntaxat in nostram fragilitatem hostiles animos gerũt, sed ipsa etiam interse naturalibus & occultis dissidijs rebellant. Leones ad galli uocem sustinere non possunt, sed fugiunt, nec modo gallus leonem in fugam cõuertit, sed & basiliscum terrore præcellit. Propterea qui Lybies sitiẽtis auias solitudines ingrediuntur, gallum gallinaceum secum gerẽdum curant, ne ferinam immanitatem, quorum semper noua miracula ea producit tellus, experiantur. Suem elephas odijs prosequitur, ægithalidum, & acanthillidum adeo inimicus cruor est, ut ne post mortẽ quidem in mixturas consentire posit. Repugnãt sibi dracones & aquilæ, noctuæ & coturnices dissidẽt. Imbecillũ & timidissimũ animal, armis omnibus destitutum à natura ceruus: angues qui impune in oẽs exitiosum uirus exercent, è fouea naribus & ore extrahit, & discerpit. Elephanti cum cætera animalia facile cõtẽnant, mustelas & mures adeo perhorrescunt, ut si eorũ murmur exaudiant, uel prætereuntes uideant, timore quatiantur. Anseres accipitrem ingenito naturali quodam desidio formidant. Columbæ aquilæ marinæ quàm haliæton uocant, & circi clangorem sustinere non possunt. Hoc interim admonere bonũ est, quòd nonnunꝗ̃ animalia non ob ingenitas à natura dissensiones discordant, sed quoniã sibi à potentioribus imbecilliora metuãt. Nã quæcũq; timẽt, eadẽ & odio habẽt.

CAPVT XIII. CONTRA ARIstotelem qui animantia non naturali dissidio, sed ob cibi inopiam inter se pugnas inire, & odio se prosequi asseruit.



ARistotelem equidem non tam impudens, aut temerarius sum: ut leui quacunque de causa, & occasione motus, temere reprehendere uelim, cui omne bonarum literarũ genus, immo & natura ipsa plurimum debet, tum uero nos ipsi maximam partem eorum quæ nouimus acceptã referamus. Sed quid facias? hinc uiri auctoritas obstat, & urget, illinc ueritas se obijcit, & opponit, ut nihil quod ad eam confirmandum faciat, relinquamus. Sed enim cũ altera ex parte periculum subeundum sit, nos tamen ueritati patrocinium feremus: præsertim cum non contendendi, & uitiligandi studio, quo multa præclara ingenia non tam docte & grauiter, ꝗ̃ leuiter & contentiose, alijs ingenuis scriptoribus, & non uulgaris notæ, negocia exhibuerunt, sed duntaxat animo candido (me hercles) & uoluntate expromendi quod sentio, ad hæc scribenda me conferam. Nec mihi succensere Aristoteles debet, nam & ipse Platonem in quibus ab eo dissentiret, ingenue carpsisse, illiq; ueritatem præposuisse, cũ

rem

rem utramq; amicã esse diceret, cognoscitur. Aristoteles ergo nono de animalium historia, animantium inter se odia, & simultates, dissidiaque hinc prouenire scribit, quod in eisdem locis pascantur, & ex eisdem epulas & alimenta sumant, ita ut si pabuli copia non desit, periclitentur, ne quæ modo inimica sunt, & contra eunt, & inter sese dimicant, & pugnam ineunt, amica reddantur, & nequaq; sibi aduersentur, cuius rei coniecturam capit, quod apud AEgyptum animalia quamuis atrocia & immania cicurentur, quod magna illis à sacerdotibus de uictu illic cura impẽdatur. Nã q hæc sit mens Aristotelis ex loco à nobis ante citato, facile innotescit, quod ne aliquibus falsum illi imponere uideamur, eius dictionem quæ ita habet apponemus, Dimicant igitur animalia inter se, quæcunque eadem loca obtinent, & ab eisdem uitam faciunt. Nam si exigua rara ue alimonia fuerit, etiam inter se quæ sunt eiusdem sortis pugnant. Quippe & uitulos marinos circa eundem locum belligerari referunt, & cum mare masculum, & fœminam cum fœmina tandiu, quoad occidat, uel alterum ab altero extrudatur. Quin & simili modo catulos omnes pugnãtes uidere est. Iam uero & crudiuoris omnia bellum facessunt, & hæc cum alijs uicissim decertant, ab animalibus enim alimoniam sibi comparant, ex quibus uates considia & dissidia capiunt, considio ea quæ inter se pacem & concordiam gerunt, statuentes, dissidio autem ea quæ hostilia sunt. Et rursus mox subiungit in hunc modum. Periclitantur autem si cibi copia fuerit, ut tum ad homines, quæ nunc ex ijs timentur, & agresti odio dissident, mansuete se habeant, & ad inuicem eodem modo. Hoc autẽ manifestum facit diligentia quæ in AEgypto animalibus adhibetur, ob id enim quod cibus existat, & non indigeant, inter se etiam num quæ sunt maxime agrestia uiuunt, propter utilitates enim cicurantur, ut crocodilorum genus locis quibusdam apud sacerdotem, propter diligentian alimenti. Et mox ita ait. Sunt autem aquila, & draco, inimica: uictum enim ex serpentibus aquila sibi cõparat, & ichneumon cum phalange dissidet, uenatur enim phalanges Ichneumo. Ergo quod me male habet est quia ego has amicitias, & inimicitias animalibus, iam tum primum cum nata sunt: constare existimo, & odia hæc illis insita, & ingenita, & naturæ sponte profecta esse mihi persuadeo, non tam quia easdem epulas habere uelint. Gallum gallinaceum leo cæterorum animalium dominus, dẽtibus, & iuba, cristisq; à natura munitissimus, pertimescit, cum tamen non eisdem cibis utantur. alterum enim (ut Græci aiunt) oresitrophõ & homoborõ, id est crudiuorum animal est, alterũ domesticũ, & frugibus pene tantum uictitat. Ad hæc murem elephantus perhorret nõ, (opinor) quia illi cibum inuideat, nec quidquam de cibo communi hic comminisci possumus. Maximũ præterea meæ opinionis argumentum est, quod lupum conspectũ

hœdus

hœdus uix primum genitus, & ex matris ubere raptus fugitat, nec quidq; de cibo cogitat, sed duntaxat naturã sequitur, quæ fugiendum eße demõstrat, quam quia ducẽ habet, si uel lapidem, uel palum ad lupi effigiem conformatum spectet hœdus, nihilominus fugit, & pauitat, & pedibus sibi cõsulit, quia naturæ solam inclinationem attẽdit. Ita enim res profecto sese habet, non quia sibi mutuo escas & dapes inuideãt, sese odio animalia prosequuntur, ut sibi inuicẽ alterutris insidias moliantur, sed enim quia sese oderunt, hinc sese inuicem & impune deuorant, & sese accingunt, ut alia ex alijs sibi parent nutrimentum. Vt enim ego pulchre dicerem, cum utilißimum esset, ut animalia cibum haberent, quo sibi uitam tuerentur, ut melius hoc facerent, & uictum sibi compararent, hostiles quosdam illis animos indidit, & intestina odia inseruit, ut non otio & desidia defluerent, aut ueterno per ignauiam tabescerẽt, sed ab illis natiuis simultatibus, & dißidijs admonita, & incita, & ueluti stimulis quibusdam uellicata, ad quærenda pabula animũ appellerent, & ex alienis iniurijs, & mutuis cedibus sibi prospicerent dapes. Simili modo cum necessarium eßet, ut generatio propagaretur, ut mundus perennaret, & memoria rerum non occideret, uoluptatem natura in animalium coitu, & uenereo congreßu coniunxit, ut libidine ceu quodam œstro turgentia, & stimulata, sese inire contenderent, & inter se iungi festinarent, unde prolis habendæ amor consequitur. Ergo sese animalia conficiunt, quia oderũt, odio autem se prosequuntur, quia hoc à natura insitum habẽt. Hinc cedibus, & uicissim hostium cruore sparso, uitam peragunt. Nã quod de animalibus in AEgypto à flaminibus educatis comminiscitur, promptam responsionem habet. Quæ fera etenim & immania sunt, sacerdotum opera coeunt, & mitia euadunt, ut hominibus non noceant, non tamen unquam compertum est, ut eorum industria efficeret, ut animalia quæ genuinis odijs sibi sunt infesta, sopitis iris, animisque, amicitias componerent: & pacem inirent, & lupi cum ouibus amicitia iungerentur, quod fecisse Orpheum poetarũ commenta fabulantur. Huc adde quòd si quando animalia alioquin ferocia cicurantur, moris tantisper obliuisci uidentur, sed mox ad ingeniũ (quod aiunt) redeunt, quod ut apertius cognoscatur, bina exempla pulchra grauißimorum auctorum apponam, simul ut uoluptate quadã legentiũ animi recreentur. alterũ apud Tirium Maximum philosophum extat, in disertatione quam fecit, si dijs signa dicanda sint, alebatur (inquit) apud AEgyptiam mulierem crocodili catulus, qui pro dijs apud eos coli consueuerunt. omnes eam fœminam beatam prædicabant, quòd apud se & domi suæ deum educaret, ea filium habebat natu crocodilo parem, qui ambo ut pote coetanei, paribus & æquis studijs alebantur. Ergo dũ catulus crocodilinus infantem ageret, nihil puero nocuit, sed postq; adoleuit, & ætate profecit,

alumnum

alumnum illum & nutricium suum, arreptũ deuorauit, mulier adeo nihil se mali passam arbitrata est, ut etiam pro munere acceperit, quòd gnato deus utendum existimarit. Puerum itaque confecit, quia animal crudiuorum, & cedibus naturæ sponte uictitans crocodilus est, unde illæ mentitæ crocodili lachrymæ prouerbio locum dederunt, qui lachrymari se simulat, quo miserantes deuoret: sed cum paruus adhuc nimium esset, naturam mollis educatio tegebat: postq̃ uero ætatem accepit: malitiã & hostilem animum, quem aduersus hominem naturaliter gerit, exercuit. Alterũ exẽplum ex Luciano in apologia de ijs qui mercede conducti apud aulas principum, & locupletum degunt: accõmodare possumus: quòd in hũc modũ se, habet. Habuit Cleopatra illa decantata, simiam quam cum edocuisset, ut nimis ornate, & composite saltaret, & magnam admirationem compararet, cum in gestu maneret, & decẽtiam obseruaret, ut caricas uidit, uel amygdalas procul abiectas, longo uale dicto tibijs, & consonantijs, & saltationibus, corripiens deuorauit, proiecta immo uero contrita persona quam agebat. atq; ut quidã ex nostris nõ minus elegãter quàm uere dixit.

Repetunt proprios quæque recursus,
Redituque suo singula gaudent.

Quia quantũ existimo, omnia animalia libentissime naturam amplectuntur, & q̃uis quis didiscere ea cogat, quæ naturæ priuilegio, & munere possident, nam tamen perfecte mores mutant, sed quæcunque cupediarum auida sunt, & uoracia, ganeas dedoceri utique non possunt: quamuis egregius & diligens temperantiæ magister illis sobrietatem imperet, & commendet. Quæ uero effera, & immania sunt, tametsi uel propter fortunam, uel uim, uel blanditias, emollita uideantur, & iras deposuisse, ad pristinam & antiquam naturam reuertuntur, simulac occasio fulsit, & ueteres animos resumunt. Huc etiam pertinere arbitror, quod tum primo de usu partium, tum sexto de locis affectis, tum in commentario de conformatione fœtus, & sexto de morbis uulgaribus, & plærisque in locis alijs doctissimus Galenus affert: quòd omnia aut certe plurima animalia, anteq̃ organa & instrumenta à natura ad obeunda munia parata habeant: experiri eas partes nituntur, quibus functionũ usus exerceri debet. Sic itaque uitulum cornu petere uelle uidemus, cui adhuc frons torua & torosa non sit, nec dum illi eruperint cornua. Pullum quoque equinum, calcibus pulsare solũ, & ad ulciscẽdũ cõniti passim uidere licet, anteq̃ illi ungula solidescat. Quin & aquilas, & uolucrum genus adhuc implume, & uix dum ad uolandum habile, alas studio quatere, & sese attollere: & crebro remigio pinnarum (quod Græci pterygizin uocant) intueri possumus, ut sese aeriæ remigationi offerant: & ueluti sponte se tradãt. Hæc igitur omnia insitas, & ingenitas animalibus brutis ani

mæ

mæ facultates esse palam arguunt, & contestantur, quas ut à natura, & à primordijs, ceu radicatas & innatas in anima habent, ut nullo doctore indigeant, à quo particularum usus edoceantur, ita etiam inter se inuicem naturalibus & physicis simultalibus, uel beneuolentijs conueniunt, uel discordant. Nam propter quid (queso) exiguus porcellus dentibus uindicare, & mandibulis, quas non dũ dentiũ ordinibus distinctas obtinet: conatur, & partibus quas nondum habet, uti desiderat? Cur etiam cætera animalia antequam instrumentorum usum didicerint, telis, & armis quibus nondum à natura sunt munita sese tueri præoptant, nisi quia naturæ instinctus, & monitiones sequuntur in omnibus, uel cum inter sese dissident, uel cum ad alios pacem cõponunt. Si uolueris inquit Galenus, tria oua accipiens, quorum alterum sit aquilæ, alterum anseris, alterum serpentis, ubi ipse moderate calefeceris, à putamine excludere animalia, quæ tibi nata fuerint, hæc quidem alarum periculum facere uidebis, & priusquam uolare possint, alium autem serpere, & spiris sese circumagere tametsi mollis, & neutiquam serpere ualeret. Quin & si ea in una & eadem domo perfecte cõnutriueris, deinde in subdialem locum adducta, libere abire permiseris, aquila quidẽ ad sublime euolabit, anas autem in paludem aliquam deuolabit, serpens autem in tellurem subibit, deinde hæc quidem (arbitror) non edocta uenabitur, illa natabit, serpẽs autẽ latibulis se abdet, naturæ enim animaliũ (ut inquit Hippocrates) sũt à nullo doctæ. Propterea inquit Galenus: alia quidem animãtia natura potius q̃ ratiõe artem aliquam exercere existimo, quòd alueolos apes conforment, quòd laberinthos inextricabiles formicæ edificent, quòd arachneæ neant, & telas conficiant, cuius rei coniecturã ex tũ adidáctu, id est eo ꝙ nõ didicerint: uel ex eo. q. sint per se doctæ, se facere refert. Plurima sunt alia quæ contra Aristotelem quispiam congerere possit, sed nobis locum dũtaxat admonere sat est, in quo Aristoteles non perplacet.

CAPVT XIIII. DE HIPPOMANE.



Hippomanes ut auctores tradunt, caruncula est atra, caricæ magnitudine, quæ in fronte pulli equini adnascitur, tantæ ad amores & illectamẽta potestatis, ut nullum aliud præsentius reperiatur. Hanc à partu cadentem mox mater equa deuorat, magna diuini numinis (ut ferũt) prouidentia, ne si hanc in stabulis haberent, præ libidinis impotentia totum equinum genus subuerteretur. proinde ueneficæ quoties ad amandum impellere animos uolunt, hæc talia philtra propinanda curant, quòd si quis (ut conceptus est editus) clanculũ carnem illam suffuretur: fœtum equa auersatur, & uix pro suo agnoscit. & minus multo in amore ualent. Mirum est omnino quod AElianus prodit incluso hippomane in ænea statua, ad equæ simulitudinem facta, tanto furoris incendio equos incitatos

citatos, ut ad eam frequentes adhinnirent nõ propter formæ uenustatem, quæ nõ tãti esset, sed propter hippomanis ueneficium, quod intus inclusisset artifex. Est etiam hippomanes, uirus quod ab inguinibus equorum per tempus quo ad uenerẽ turgent, & immani & furiosa libidine ad coitũ rapiũtur, destillat: de quo Maro

Hippomanes uero quod nomine dicunt
Pastores: lentum distillat ab inguine uirus,
Hippomanes quod sæpe malum legere nouercæ,
Miscueruntq; herbas & non innoxia uerba.

Ego uero q̃ plures eiusce rei peritos super ea re interrogasse memini, qui omnes id mihi responsum dederunt: hippomanem non in fronte nasci, sed per os reddi, mox ut sunt geniti, atque id esse lienem quem mox euomant, unde nec mirum esse, si tam incitato cursu equus feratur, cũ liene careat, qui peculiare cursus impedimẽtum esse soleat.

CAPVT XV. DE COLICO DOLORE & RENUM, & TROGLODYTE & ALAUDA.



NVnc ad aues transeundum est, ostendendumque etiamnum illis, nonnullas proprietates inesse: quæ ad expugnandos & perfecte sanandos quosdam morbos ualeant. Nihil est enim in tota substantia iners & otiosum. Vbique elemẽtorum commixtiones, mirandas facultates edunt, & uiro naturæ studioso dignissima spectacula præbent, si modo improbus inquirendi non fatiget labor: sed maligno nihil labori quispiã concedens, uberrimas naturæ dotes sollerti studio cognoscat, quas cũctis rebus ex largissimo suæ maiestatis sinu, dum singula studiosius, & pensiculatius crearet, infudit. Sunt gemini dolores intolerabiles, qui humana corpora excruciant, alter in intestino colo consistit, alter cum renes calculo torquentur. Hij per miseros cruciatus uitã tollunt, & tanq̃ acerrimi creditores instant, & urgent atrocius, nec ullum requiescendi tantisper locum faciunt. aduersus has binas pestes binas auiculas maxime pollere priorum medicorum diligens experientia, certissimo periculo cõprobauit. Vna earum uerticem in summo capite paruæ cristæ modo, ut gallinacei & pauones: habet, corydalum Græci, alaudan Latini uocant. Secunda troglodytes eo quòd subeat cauernas: dicitur à Græcis, & minima omnium excepto regulo est, nunq̃ non caudam subinde motitat, hæc renum lapillos ui quadam totius substãtiæ comminuit, illa colicis mirum in modum auxiliatur. Sed ne saluberrima & uehemẽtissima summorum malorum remedia negligentius & tenuius commendentur, auctores afferemus. De alauda sic ait Galenus. alauda (inquit) uolaticũ animal hoc paruũ, quod per uias sæpius conspicimus, decoctum in iure, colicos affectus iuuat. oportet autem

frequenter

frequenter & sæpius, eam una cum iure comedere. Habet autem in capite hoc animal tanq̃ quendã collem, qui ex uerticibus sponte erumpit, propter quẽ fabula quam aristophanes comicus scripsit conformata est, & infra postq̃ eam sufficienter descripsisset: hæc inquit, sermonem apposui, eo quòd aperte hanc uolucrem alaudam significare uellem, qualem in capite quandam pilorum eminentiam habeat, quoniam eius de ad colicos utilitate periculum feci, & ijs qui eam non nouerunt, probe eam notam facere opto. quin & herba quæ corydalis ab alauda uocatur, etiam ipsis colicis affectibus opitulatur. Priorem sic describit Paulus tertio uiatici. Quin etiã troglodytis, ex præsidijs quæ maxime commendantur: existit, est autẽ passerculus omnium auicularum minimus, præter uocatum regulum, nã cum paruus sit, illo solo maior est, & ipsi similatur, colorem inter cineritium & uiridẽ habet, tenui rostro præditum, in parietibus maxime & macerijs uictitans, qui sale cõditus, integer & crudus frequenter comestus, tum lapides iam genitos emingi, & per urinam reddi facit, tum uero de cætero prohibet, ne gignantur, quin & huius integri cum alis uiuique combusti cinis, totus tum per se ipsum, tum cum modico pipere, & folio, ex potiotione quæ eucratomeli dicitur bibitus id ipsum perficere potest.

CAPVT XVI. DE IYNGE.



Ynx auicula est hispiditate pilorũ hirsuta, & uaria, oblongo collo prædita, linguam habens multum adeo extensam & oblongam, collum crebro nimis circũuertit, & circumagitat, hanc auiculam ueneficæ sibi ipsis ad incantationes ualde utilem esse existimant. eã namq; accipientes, ex trocho & rota quadam alligant, quam circũ in orbem girant, simul incantantes, & noxia quædam uerba accinentes. alij autem dicunt, quòd exempta uiscerum interanea orbiculo appendunt. hæc Pindari interpres quæ ideo adduxisse uolui, quoniã multa omnino de hac uolucre apud omnes mẽtio est, quòd ad allitiendos animos plurimum ualeat. Unde usu apud Græcos inoluit ut iyngem habere dicantur, qui ueluti præstigijs quibusdam, homines ad se amandum alliciunt, & prouocant, unde Theocritus in pharmaceutria, Iynx illum uirum ad meam domum reducito. Latini hanc motacillã uocant.

CAPVT XVII. de animaliũ quorũdã proprietatibus.



Ruta quadam mirabili naturæ prouidẽtia, aduersus fascinum propulsandum, quamuis ratione uacent, sibi comparare amuleta (quod ælianus grauis auctor & doctus scribit) utique admirandum est. columbæ (inquit) laurinos ramusculos collectos, primum nidis insternunt. milui rhamnum, circi amaraginem quam alymon dicũt, turtures gladiolum, corui amerinam

rinam salicem. upupæ capillum ueneris adianton dictum. harpæ hederam. ardeolæ cancrum. perdices arundinis gramen legunt. aquila aetitem lapidem, qui abortionibus mulierum aduersatur, inquirunt, quo fascinationem non sentiant. Iam uero naturali quodam ingenio autodidacta, hoc est ex sese nullo docente edocta animalia, præsidia sibi comparant, quibis fœtus tueantur suos. Vespertiliones solo contactu ciconiarum oua infœcunda faciunt, sed enim platani folijs, quia ea uís est, ut eos torpere faciat, & moliatur, noxam deuitant. Hirundines quia earum oua à blattís nocentur, apij folia ante pullos insternunt, quibus eas prope accedere prohibent. Ruta in polypos iniecta, eos immobiles reddere fertur. Certa item admiratione non uacat, quòd serpens arundine ictus, si unica duntaxat plaga flagelletur, loco non se commoueat, si uero secundo, & tertio feriatur, uerberaque accipiat, uires resumit; atque hac etiam ui murena prædita fertur. nam si unico uerbere cedatur, obtorpet, & attonita perstat. si uero pluries uerberetur, nihil tale patitur, sed in iras efferuescit. Polypus septẽ plagis, percussus edendo aptus euadit. unde prouerbio locus. Ex equino cadauere putrescente, uespæ generantur, boum uisceribus tabescentibus apum examina prodeunt. Mirum etiam est, quòd turturís id est pastinacæ marinæ telum caudaue, cum lœtiferas, & exitiales plagas percussis inducat, si postea. ꝙ quís ictum sensit, in arbore quapiam & præcipue querna suspendat, arbor arescat, homo liber euadat, quod per antipathiæ rationem contingere tradit AEtius. cani hæc uís est, ut in eum non latret, qui mustelæ caudam secum gerat, modo uiuam demittat. hoc AElianus prodit. Idem auctor scribit asinos non rudere, si quís lapidem illis ad caudas suspendat. Muscas & apes emortuas, si tepido cinere inspergantur, ad uitam redire certum est, ex quibus nihilo deterius, quàm de cygnís sumpto argumento, immortalitatem animæ comprobare Plato potuisset. Crocodilus ibidís pennís contactus immobilís redditur.

De cornu ceruino.



Bi cornu ceruinum defossum fuerit, hederam enasci, è coitu pediculorum procreari lendes, apes septenos uiuere annos, uisamq; fuisse muscam, quæ septimum uitæ annum compleuerit, Aristoteles in libro de longitudine uitæ asseuerat, aliaque innumera fidem superantia: penes quem periculum fidei esto. Nã qui rescire potuit, nisi illi deus aliquís indicarit: non uideo, ni forsam apiculas, aut muscas caueolís inclusas aluit, atque educauit, perinde ut aucupes altilia solent.

CAPVT Decimumoctauum.

De lupo.



Vpi cum oue & alijs id genus animalibus inimicitias inter se gerunt, quæ nec morte dirimantur. Nam si ex huius & illorum corijs tympana fiant, reliqua omnia raucescunt, & nihil sonant, ut Oppianus inquit, & temere manuum iterato ictu pulsantur, sonante eo quod ex lupi pelle confectum est. Hic quidem si hominem prior conspexerit, uoce eum priuare, & mutum omnino reddere cognoscitur, quod & Maro apud nos significat: dum ait.

Mœrim lupi uidere priores.

Vnde lupum esse in fabula, prouerbio usurpare solemus, quoties loquentibus nobis, aliquis importunus interuenit, quem propter sermones ceptos non prosequimur.

CAPVT Decimumnonum, De pennis aquilæ, & aliarum auium.



Nter crudiuoras & immanes feras, leones principatum gerunt, in mari piscibus delphinus dominatur, inter serpentes: dracones regiam dignitatem habent, auium regina aquila est, quam non solum uiuentem & præsentem adorant, sed & defunctam & absentem reuerentur. Nam pennæ aquilarum si cum pennis aliarum uolucrum commisceantur, huius quidem illæsæ permanent, & incorruptæ seruantur, cæteræ omnes putrore concepto consumuntur. Quæ causa pennas pinnis dissidere facit? Quæ tanta illas agitat post fata discordia? Cur alæ alas non patiuntur? substantiæ (ut equidem reor) dissimilitudo in crimine est, ut iß effectus mirabiles committantur.

CAPVT Vigessimum, De quorumdam animalium sanguine.



Via sanguinibus nonnulli quasdam proprietates ascripserũt, propterea tempestiuum de hijs mihi nunc agere uidetur. Sanguis igitur agnorum comitiales iuuat, hœdorum autem adhuc nouiter concretus, dimidij acetabuli mensura, cum æquo aceti põdere bibitum, eos qui à thorace sanguinem expuunt: medicatur. Vrsorum uero

cruor, & caprarum siluestrium, & hircorum, & taurorum, abscessus concoquendi uim habere narratur. Porro sanguen terrestris crocodili, oculorum acuitatem facit, equi autem admissarij cruor facultatibus putrefacientibus commiscetur. at sanguis noctuarum, & ranarum, & chamæleontis, & muscarum quæ canibus nocent, tum papillas uirguncularum seruare ne increscant, tum prohibere ne pili enascantur, refertur, si eo particula perungatur. sed de hijs postremis meam non astringo fidem, præsertim cum Galenus proprio periculo falsa esse comprobauerit. Sanguis occisi hominis iacente cadauere, quamuis uulnus coaluerit, corã homicida exit, perinde acsi uindictam appetere uideatur, cuius rei in causa esse aiunt, quod spiritus nonnulli, quos in emortuum corpus interfector impresserit, cum sanguini insidiaretur, ad locum unde processerint, postliminio redeant, ut ad suum simile congregentur. Nos quoq; toto corpore naturæ sponte inhorrescimus, si fur aut fœmina alioquin prostituti pudoris, domi nostræ delitescant, tanq; si mali mens præsaga ante cauendum admoneat, q; quidquam damni proueniat. Sanguis uero caprinus ijs qui aquam intercutem patiuntur, sua siccitate prodest, cum melle bibitus, & lapides renum confringit. Palumborum autem & columbæ, & turturis, quia commoderatum quodammodo est, ad suggillata prodest, & summam opem ijs confert, si ijs instilletur, quibus in crassa membrana perforatio facta est.

CAPVT Vigessimumprimum, De uipera.



Ilamẽtum ex purpura marina si quis accipiat, & ad uiperæ collũ circumponat, ita ut ipsam strangulet, deinde pro amuleto suspendat: mirabilem uim obtinet, ut Paulus & Galenus contestantur, tum ad curandas tonsillas inflammatas, tum quoscũque affectus sanandos, qui collo accidunt, quod quoniam exploratissimum esset, & ad proprietatum tractatum pertineret, ideo hunc in locum reijcere dignum uisum est.

CAPVT Vigesimumsecundum, De iecoribus.



Ecorã quoque proprietates quasdam recõditas habere traduntur, quam rem Paulo cõmittemus, cuius ita uerba se habent, iecur (inquit) rabidi canis, si assum ijs quos momordit, propinetur, auxilium ferre perhibetur. Iidem asserunt iocinoris caprini assi saniem, si instilletur: luciosos iuuare, & ubi fuerit coctum: halitum oculis su

scipere, & ipsum comedere praecipiunt, comitiales quoque arguere, si mandatur. hoc & caprinum iecur facit. lacertae autem iecur dentibus erosis impositum, doloris priuationem molitur. lupinum autem in medicamen quod fit ex eupatorio, iocinori medendo accommodatum, immittitur. asinino sane si comitiales ieiuni tosto uescantur, utilitatem recipiunt. caprinum recens siccatum, & tritum ex uino, ad serpentium morsus propinatur. at mergi iecur siccum, lapides emittere consueuit. Qui stigmata & plagas corpore susceperunt, si recenter detractam, & recentem adhuc ouinam pellem induant, inter diei unius cum nocte spatia, curationem omnino sentiunt: & cutis liuores amittunt.

CAPVT Vigeßimumtertium, De torpedine.



Torpedo pisciculus minimus, & ad inceßum tardus, & imbecillus, & omnibus alijs piscibus uilior est, sed astu, & dolis, uel etiam fortioribus, potentior. Geminis enim ueluti cirris, sub ilijs munita est, quibus si piscem quempiam illac transeuntem contigerit, ita gelido stupore illum afficit, ut sensu omni priuatus, mortuo haud dissimilis uideatur. Vnde corpus supinũ sub arenis reclinans, facile praedam paratã suscipit, & ubi piscium greßus retardant, ipsa quamuis segnior, lento gradu accurrens, impune quidquid coepit, deuorat. Nec modo eos qui obiter illac iter agunt, suis fallatijs decepit, nõ ignorans quo munere sit à natura donata, sed etiam quamuis incitatißima latione ferantur, ubi in huius ueluti ueneficia, obuiam impegerint, abscindere cursum coguntur, ut res similis praestigijs, & magicis operibus appareat. Nam pisces quidem uiam continuare uellent, sed ab imbecilla torpedine ueluti pedicis quibusdam delusi detinẽtur, & sese inde eo ex carcere aßerere nitũtur, haud secus ut Oppianus secundo tôn halyeuticôn scribit, ac illi, qui cum in somnijs pauidos aliquos timores, aut metuẽda quaepiam conspiciunt, ut fugere, & sese in pedes dare cuperent, ita se tamen compeditos, ut pote somno grauati, admirantur: ut nec se loco mouere, nec abire inde poßint. Nec uero in pisces duntaxat, torpedini stuporem inducẽdi proprietas est, sed & manum piscatoris per calamum harundinemue, aut tridentem gelu quodam immisso cõgelat, ut harũdine dimissa sibi impune abire liceat. AElianus etiã addit illud, ꝙ si quis uel rete in quo torpedo capta fuerit: cõtigerit illius manus rigescat, necnon etsi in uas marina plenũ detruserit, & ex ea aliquem consperserit, rigore stuporeue tentatum iri quodcunque membrũ fuerit perfusum aßeuerat. Vnde eleganter nimis apud Platonem Mẽnon Socratem torpedini aßimilem eße ait, quòd eos quibus cum disputaret, ita argumentationibus irretiret, ut tanquam stupidi facti, nihil omnino resistere

resistere possent. Et uideris mihi (inquit) si quid te cauillis præstringere oportet, tũ specie, tum alijs, huiclatæ marinæ torpedini simillimus esse. ea namque eum qui sibi uel approximat, uel contactu accedit, obstupescere facit, & mihi quidem uideris, meipsum tali quodam stupore affecisse, uere namque quoad corpus, & animam torpeo, nec habeo, quid tibi respondeam. Huius itaque tam mirabilis effectus, qui in reddendis rerum causis abundant: nullã aliam à proprietate rationẽ inuenturos posse, mihi certissimo persuadeo.

CAPVT Vigessimumquartum, De turture marina, & gladiolo.



Vrturi marinæ & xiphiæ, hoc est gladiolo pisci, peculiare & tralatitiũ est, ut nõ prius uel uiuũ, uel crudũ aliquid deuorẽt, quàm escas quas comedere dicũtur, ante plagis mutuis & spiculorũ quibus munita sunt uerbere confecerint, & lacerauerint. Horũ ictus nocentissimus est à proprietate totius substantiæ, ut nulli uenenorum nocendi facultate concedant, quamuis nullum uirus in demorsum locum emittere appareant, cum spicula minime pertusa habere uideantur. Sed xiphiæ quidem postquam perijt: imbecille iaculum euadit, nec si quidquam eo percusseris, incommodum aliquod sentit. at turturis stimulus quibuscunque, uel mortiferis mucronibus, uel lœtalibus sagittis, quas Persæ inficere consueuerunt, pestilentior est, & post uitã eadẽ proprietate retẽta, æque atrox robur cõseruat, nec modo in hoĩes & reliquas animãtes mortẽ præsẽtaneã affert, sed si quæ arbor florẽtissima, & pulcherrimis tũ ramis, tũ frõdibus luxuriãs huius spiculo percutiatur ad imã radicẽ: mox (ut Oppianus tertio de piscių historia tradit) eius lætissimæ defluunt comæ, & uiror oĩs nitorq́; abit, & gẽmæ cadũt, & tãdẽ nõ multo post tãq; senio cõfecta graui, tabida emarcescit.

CAPVT Vigessimumquintum, De cancris.



Ancri & maxime fluuiales, demorsis à cane rabido mirifice prosunt, & tum precipue, si ut docuit AEschion medicamẽtorũ (ut Galenus ait) expertissimus senex, uiui in patella adurantur Luna decimaoctaua post canis sideris exortum, cum Sol leonem ingressus est, ex quibus in puluerem cinerem ue contritis, cochlearium unum ex aquæ cyatho propinatur, cum recentior est morsus, aut augetur quantitas, si inueterauit. Huic remedio uim efficacem, & actiuam adeo inesse Galenus attestatur, ut nullos perijsse scribat, quibus hoc sit in tempore datum. Pelops autem

Galeni præceptor omnium pene arroganter contendens reddere causas, nihil mirũ uideri uolebat, si cancri humidissimi & humecto in loco geniti, morsibus rabidorum canum opitularentur, quos metus est, ne à rabie passione siccissima capiantur, in quam qui inciderunt, nihil magis aut perinde ac aquas pauescere soleant. Adijcit is quòd si tam mirabilis effectus in cancris subinde deprehendatur, non hoc ex peculiari ui contingere, quæ ijs potius, q̃ illis quæ à flumine petuntur, debeatur, sed quòd reliqua talem præparationem non susciperent, ut ignibus torreri, & in cineres redigi possent. Sed cum multa illius opinionem falsam esse redarguant, tum illud imprimis, quòd quàm plurima æque humentia reperiantur, quæ nihilo magis persanant eos, quos canis rabidus momordit. Ad hæc quia non minus specula, & lucida, & conspicua corpora quàm aquas, & liquores ij metuant, quibus hæc passio nocuit. Propterea melius cum Galeno sentiendum est, quòd à propria substantia: hoc est à proprietate operantur, cuius uires non ratione aliqua, sed sola experientia monstrante nouisse procurandum est. Quòd autem non humectatione, sed proprietate totius substantiæ cancri fluuiales ijs qui à cane rabido sunt morsi, opem afferant, maximum argumentum est, quòd non ex humectantium numero sit eorũ cinis, sed in secundo ordine arefacientium, ut Paulus AEgineta tradit: cuius hæc sunt uerba ex libro septimo. Cancrorum fluuialium ustorum cinis desiccatiuus est, perinde ac echinorum & cochlearum, proprietate autem totius substantiæ mirabiliter in ijs qui à cane rabido sunt morsi bibitus operatur, marinorum autem cinis cum superantem habeat siccitatem: ijs quidem non confert: sed eos sane iuuat qui magis desiccari egent.

CAPVT Vigeßimumsextum, De fibro.



Fiber animal est quod in extremis fere littorum oris uersari consueuit, unde nominis huius nuncupationem sortitus est, nam fibrum ueteres extremum uocarunt. differt ab hoc sola cauda lutra, quòd se luto mergat, hanc nomenclationem habens, utrique pilus pluma mollior. horum testes comitialibus, ut prodesse possint, communem proprietatem habent.

CAPVT Vigeßimumseptimum, De lampetra.

LAmpetras sunt qui dicant, peculiari proprietate neruis aduersari, aliqui tradunt in tempore pestis eas si edantur, plus cæteris piscibus innata ui prodesse.

CAPVT XXVIII. de anserum ouis.


Nserum oua, quamuis (ut inter omnes constat) omnium sint peßima quod ad alitiones pertinet, à proprietate tamen commendantur, quasi bonum ingenium faciant, si quis eis crebro ex melle & butyro utatur.

CAPVT XXIX. de hominis morsu.


Ominis morsum compertissimum est, cæteris animalium uenenatis ictibus non minus esse lœtalem, eius autem qui ieiunus momordit, præsentaneum exitium afferre, & tum precipue si cum dentes impreßit, contigerit, ut legumina ante prægustauerit, & maxime lentes. ita enim scribit Paulus libro quinto dum ait. Maligniores multo alijs ulceribus hominum morsus apparent, & maxime si ieiunus fuerit qui momordit, & legumina ante comedißet, & maxime lentem.

CAPVT Trigessimum, de anthia pisce.


Nthias piscis est, quem & callionymon, & sacrum piscem Græcis scriptoribus appellare consuetudo est, ob eam causam quòd quibus hic in locis pascatur, nullũ ibi cetacij generis per totum id pelagus, nec eorum qui rapinas in mari exercent, uel piscatoribus incommodant: diuersetur, & inhabitet. Huius rei causam non minus occultam esse, ælianus opinatur, quàm quòd suillum pecus elephantus fugiat, gallum gallinaceum leo & basiliscus perhorrescant, & alia multa indies à proprietate gerantur, quorum causæ in abdita naturæ maiestate delitescunt.

CAPVT Trigeßimum primum, de cicadis.


Ocrenses & Rhegini (ut uenustissimus scriptor animalium ælianus prodit) populi finitimi sunt, qui mutuam uitæ cõmunionẽ, & cõmertia inter se obeũt, hoc tamẽ mirũ in ijs habetur, quòd cicadæ quæ in Rheginis nascũtur, in Locrẽsi solo cõticescãt, si mutare patriam humum cõtingat, quæ uero apud Locros sũt uocales, in Rheginis taceãt, & nõ minus silẽtia præmãt, q̃ uel Harpocrates, uel qui Pythagoræ philosophiam sectantur.

CAPVT Trigessimum secũdum, de ranis seriphijs.


Vòd in quibusdam locis, ut in Seripho insula, rana animal garrulũ maxime, & uocalissimum, mutum & uocis expers nascatur, ad loci proprietatem referendum, tribuendumque uidetur, sed enim aliam eiusce rei causam Theophrasto summo uiro placuisse uideo, quam suscribere nõ piget, ait namque quòd lacus in quo proueniant, frigidissimam aquam contineat, ut ea propter inuocile ibi sit ranarum genus, frigus quippe laticis, tum acrem

 condensat

condensat, qui sub septo transuerso continetur, & ad illos sonores emulos uocis (ut ait Aristoteles) plurimum confert, tum uero membranulas sub uentre induratas reddit, ad quas attrito aere bombitus cieatur. Nam quód non natura in causa inuocilitatis sit, sed algiosa laticis rigiditas inditio est, quód in aliam tellurē translatæ uocem recuperant, nequaquam autem naturam deponerent, quippe quód frigiditas cantibus, & uoci noceat, & officiat, tum re ipsa comprobatur, tum cicadæ (quas tettigas Græci uocant) argumentum non inefficax afferūt, quæ non nisi sole medium orbem tenente, quando radium maxime uiuificum iaculatur, ad cātum sese inuitant, & modulari meditantur.

CAPVT XXXIII. DE STELLIONE.



Mirum est profecto, quód digito magno, id est pollice dextri pedis, ex cinere stellionis tosti (quem ascalabotem Græci uocant) cum oleo uel melle inuncto & illito, ij qui extinctam pene tentiginem & uirile membrum emortuum habeant, rebus agēdis late sufficere poßint. Equidē huiusce rei causā, me nō satis cognoscere spero, nec facile conijcere, qui fiat, ita ut pedi medicamine aut præsidio admoto, longe distās pars utilitatem sentiat. An qualitas quæpiam manifesta, uel uis aliqua occulta, propter earum partiū directum situm, & mutuum responsum atque consensum recta demandetur, quæ libere non ita, alicui alteri parti applicato remedio peruenire posset. Vel neutrum eorum sit, sed sola præsentia sufficiat, ut id committatur, nihil satis dicere poßum, quemadmodum nec Paulus quicquam qui eam rem prodidit, scriptū reliquit, cuius uerba subscripsi, ne quis quod dixi, me fingere arbitretur. Peculiariter autem (inquit) combustum stellionē in leuorem redige, deinde infuso oleo inunge dextri pedis magnū digitum, & coitum una exerce, quód si cessare uelis, digitū abluito. Hæc ego difficilius crediturus forem, nisi quia uix mihi persuadere poßum, ut in dubium reuocem, aut ut falsa & non uera esse existimem, quæcunque à grauissimis & iuratißimis, & exploratissimæ fidei scriptoribus tradita inueniantur.

CAPVT XXXIIII. DE CERVIS.



Cerui in eois partibus, quo fortiores & robustiores reddantur, serpentum pastu sibi uires cōparare solent. est enim hoc animal serpentibus exitiale. Ergo postquam abunde serpentibus sunt saturati, ne ueneni uirus noceat, priusquam damnum aut noxā aliquam sentiāt, ad flumina ingentia (natura docente) sese conferūt; & ore summo tenus corpora demergunt, nec quicquam bibunt, summopere quippe læderet, sed tandiu ibidem perstant, quoad ui frigoris cogente, haustum uenenum per oculos desudando

do illachrymēt, quod ubi factum est, inde abeunt. lachrymæ cōcretæ in globulos, subinde in uias subiectas cadunt, quas incolæ legentes, præsentaneum maxime remediū habent, quo aduersus bibita & propinata cuncta deleteria utantur, barbari bezoar uocant, & bezoarticas cunctas medicinas, quæ uenenis sua proprietate obsistere poßunt, hoc apud auenzoarem medicum inuenies.

CAPVT XXXV. de pullis columbinis.



PVllos columbinos, nec non & gallinas, ijs qui ob paucitatem spirituum uisiuorum uisus imbecillitate laborant, utillimos esse auenzoar medicus non malus scriptum reliquit, sed idem capita abscindi præcepit, quód eorum cerebella proprietatem habeant obducendi cæcitatem. Cerebrū leporis ut proprietate mirabili præditum, in memoria restauranda ab eodem auctore commendatur.

CAPVT XXXVI. de gallorum iure.



GAllorum gallinaceorum ius pinguium & ueterum uim purgatiuam habere omnes asseuerant, Psellus ad hoc munus flauos maxime commendat, & anteponit. Gallinarum autem ius Paulus & Galenus cōstipare aluum prodiderunt.

CAPVT XXXVII. de cauda galli gallinacei.



CAuda galli gallinacei binas pēnas lōgißimas habet, quæ propter teneritudinem, faciunt imaginem incurui arcus. Harum si quis dextram euulsam secum ferat, tum á nemine conspectum iri Lucianus auctor est, tum quód ianuis reseratis, & foribus quamuis diligenter signatis, omnia domus penetralia patescant, hoc ad fabulam est proximum. Certius est in uētriculo gallorum gallinaceorum qui fuerint execti, lapillum quendam inueniri qui septem ferme annorum spatio, in duritiem quandam crystallo similem, congelascat, & inuictos ferentes reddat, & insiticulosos faciat ore acceptus.

CAPVT XXXVIII. de puella napello nutrita.

CVm puellam pulcherrimam ad Alexandrū adduxißent, Aristoteles philosophus uultum eius, & acres oculos diligenter cōtemplatus, napello nutritam cognouit, & regem qui illius forma captus uidebatur, ne ad eam accederet, prohibuit, quoniam ueneno educata, omnes ad lœtum inficeret, qui ad eam ingrederentur. Democritus physicus cum ad eum uisendum Hippocrates medicus accessisset, & hunc puella quæpiam consequeretur, prima die sic salutauit chære core, id est salue uirgo: secunda die sic chære gynæ, id est salue mulier. Deprehenderat nimirum philosophus lumina considerans, & ad

faciem

faciem intendens ea nocte corruptam fuisse, quamuis nihil illa præ se ferret. Vnum aliud quiddã eiusce auctoris nõ minorẽ admiratione meretur. Pronunciabat idem uiso lacte cuius animalis esset, nã cũ Hippocrates ad eũ curandum lac adduci iussisset, eo adducto: ex pulla, & primipera capra, ut primum uidit, esse emulctum ocyssime affirmauit. Et tãdem (ut quidã poeta inquit) sunt nonnulli qui. Ostrea cognoscãt: primo deprehẽdere morsu, & nũq; uisi prædicãt litus echini, quód singula animalia innatas quasdam proprietates á natura quibus cũ alijs non communicent, habere uideantur.

CAPVT Trigessimũnonũ, de uulpium oleo.



Vlpes uiuas in oleo strangulatas, oleum maxime discussorium efficere, & quod uacuet totum corpus, in quo si arthritide qui tenẽtur, subeant, maximam utilitatem sentiant, artuum tumoribus duris resolutis, tum Paulus tum AEtius memoriæ prodiderunt.

CAPVT Quadragessimũ, de muribus.

MVres albi salatiores sunt, unde apud Græcos mís leucós, id est mus albus, prouerbio frequenti dictitatur, de ijs qui ad uenerem sunt impendio propensiores.

CAPVT Quadragessimumprimum, de tarantula.



Vsicis cantibus multos tum animorum, tum corporum morbos leniri, tum ueterum plærique scriptis tradiderunt, tum præsens experientia indies suffragatur. Vnum præ cæteris inspectione dignam rationem cõtinet, q; qui á phalangio sunt demorsi, (tarantulam uocant) tibiarũ pulsatu, & tympanis bene sonoris ita demulcentur, ut non alia re in uitam reduuui magis reuocentur, quód si uel tibijs canere, uel tympana pulsare desistant, malum mox reciprocum eo morbo correptis redeat. In Apulia ubi hoc uitium frequens est totæ plaudentium & musicam agentium turbæ per uicos, per urbes, per agros circunuersantur quo ab huius arachnei ictu præsenti præsidio contactis medicentur.

CAPVT Quadragessimũsecundum, de aceto aduersus aspidis uenenum.



Ntiqui aduersus aspidis serpentis morsum urinam propriam ut inquit Plinius qui de re medica scribit: potari iubebant: sed sequenti ætate acetum ijs dari inopino casu deprehensum est, cum quis aceti utrem gestaret humeris atque ab aspide morsus interim esset, nihil conquestus est, quoad onus deponeret, quo rursus sublato nihil iterum mali sensit, unde aceto si bibendum daretur: iuuari posse ab aspide morsos intellectum est.

LIBER

LIBER QVARTVS. ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS DE OCCVLTIS PROPRIETATIBVS,

in quo herbis, & lapidibus, inhærẽtes quædam proprietates recensentur.

CAPVT PRIMVM.



ON EST HVIVS OPERIS PROPOSItum gratiam aliquam dicendo aucupari, nec in aurium uoluptatem delinimenta uerborũ apponere, sed quidquid sit id de quo est agendum, simpliciter & nudis (quod aiunt) uerbis explicare, ob utilitatẽ quæ hinc legẽtibus prouenire possit, si quis modo forte aliquãdo tã ociosus, & tã ab omni negocio feriatus sedeat, ut hæc quæ scribimus, in manus sumat. Disserent hæc alij copiosius, nobis abunde sat est: si animi nostri sententiam signatis (quoad licet) & aptis uocabulis exprimamus, nec uerba, sed res nos tradituros pollicemur, quod qui faciat, & nomina usque quaque contẽnat, is ditior sapientia ad senectutem perueniet. Postquam igitur hactenus nonnullas (nec enim omnes, maius hoc namq; est, q̃ ut facile quisq; exhibere possit) tam animalium, & partium eorum, quàm serpentum & uenenorum proprietates, scribendo expressimus: nunc operæprecium facturi uidebimur, si herbarum etiam occultas quasdam, quæ in ijs uires reperiuntur: recenseamus. Pæonia itaque (ut hinc sumamus exordium) quam & glycisida & pentorobum Græci nominant, pro amuleto collo suspensa, omnibus comitialibus morbis mirifice prodest. Hoc certissime didicisse se Galenus refert, facto in puero periculo, qui quoties ea radix adempta esset, toties à morbo corriperetur, ea autem frequenter apposita, perfecte sanitati restitutus est. ad hoc autem efficatius ualet, quæ ingens est, & recentior radix. Dupliciter autem ex Galeni sententia, Pæonia sua ui persanasse infantem potuit, uel scilicet aerem proximum afficiendo, qui per respirationes mox trahendus esset, uel eius aliquibus particulis solutis, quæ per halitum ingressæ salutem procurarent. Nam pari exẽplo nigella (quam melanthion uocant) in lintheo obuoluta capitis defluxiones curat, si quis ore tenus calidos excipiat halitus. Lanulæ præterea, quibus uipera strãgulata sit, & præcipue si

ex marinæ purpuræ tomentis ad id munus fila accipiãtur, anginæ & omnibus tam oris quàm columellæ uitijs mirabiliter auxiliantur. Heringium carduus est, numeroso capitum ordine pollens. hunc si qua ex grege capella deuoret, ut Plutarchus & Theophrastus prodiderunt, protinus consistit omne pecus, nec ultra progreditur, quoad demptam ab ore abijciat pastor. Batrachion autem herba (quam nonnulli apium risus per antiphrasin à pernitie nominant) mori ridendo compellit, & non prius si quis sumat, à cachinnis cessat, quàm uitã pereũdo efflauerit. Hinc Sardous risus (nam in Sardibus insula hæc reperitur frequens) prouerbio cessit in eos, qui pestiferum risum rident, qui in magnam illis pernitiem terminaturus sit. hãc herbam depastæ apes amarissimum mel conficiunt, de qua poeta. Ast ego Sardois sim tibi amarior herbis. Hoc idem & crocus facere posse perhibetur, de quo Dioscorides hæc scribit. Sed & auctores quoque (inquit) habẽtur, qui uenenũ id faciãt, utique si drachmis tribus ex aqua bibatur. Sed & Romanos aduersus Parthos bella duce Antonio gerentes, deficiente uiatico, cum ad alimenta extranea peruenirent, & ignotas fruges gustare cogerentur, herbas quasdam per delirium ad mortẽ ducentes inuenisse Plutarchus refert in hæc uerba. Sed & fames (inquit) exercitũ tetigit, ut qui tum exiguum frumentum per pugnam secum defferret, & instrumentis quibus ad molitionem opus: minime abundarent. plurima namque relinquebantur, partim mortuis iumentis, partim eos qui ægri & percussi uulnere erant: ferentibus. dicitur autem choenix Attica frumenti, quinquaginta drachmis constitisse uenalis. hordeaceos autem panes æquo argenti dato pondere emebãt. ad radices tandem & ad holera cõuersi, paucas notas & consuetas reperire potuerunt, coacti uero etiam num experiri eas, quas nunquam degustauerant, quandam herbam tetigerunt, quæ ad interitum per furorem ageret. nam qui comedisset, nihil aliorum meminerat, nec cognoscebat, sed unum duntaxat opus habebat, mouere & conuertere omnem lapidem, perinde acsi quid magno dignum studio moliretur. unde campus plenus erat eorum qui in humum proni inhiarent, & lapides defodiẽtes, in alium locum transponerent. tandem autem bile per uomitiones reddita, moriebantur, postquam unum, quod solam illis opem præstare poterat, deffecit. Hactenus Plutarchus quæ nos ideo retulimus, ut præclaras & admirandas herbis inesse uires, nullus ambigeret, quarum aliæ gustatæ mori ridendo compellant, aliæ insaniam procurent, nonnullæ quibusdam morbis patrocinentur, aliæ tandem alio modo perimant. Porro quod de uini antipathia ait: nequaquam mirandum est, ij namque qui cicutam pestiferũ uenenum biberint, si uinum post sumpserint ingesserintue: à pernitie præsentanea euadere possunt, ut apud Plinium in epistola Androcidis ad Alexandrum magnũ scri

ptum

ptumest. Vinum potaturus O rex: memento te bibere sanguinē terræ, cicuta homini uenenum est, cicutæ uinum. Consimiliter etiam idem de cicuta narrans, ut homini exitiosa, in libro quinto & uigesimo remedium esse ait, priusquam perueniat ad uitalia uini natura excalefactoria. Alexander ingenti numero suorum militum lætalibus barbarorum sagittis interfecto, herbam in somnis sibi monstratā uidit, qua tum Ptolomeo seruato de cuius salute erat sollicitus, tum uero saucijs qui supererāt, ad bonam ualitudinem reductis, bellum quod gerebat: confecit.

CAPVT II. De herbis quibusdam quæ ad internorum uiscerum affectus peculiariter prosunt proprietatis merito.



Pposuit natura rerum parens, uenenis præsidia, & corrumpētibus contraria produxit, & genuit quidem natura mortifera & noxia, sed eadem singulis periculis aduersas potestates comparauit, in quibus querendis hominum uita non sine magna, & communi utilitate occuparetur, & inuenit sane curiosa mortalitas, quibusq; mali geenribus fecisse naturam remedia, & iuisse obuiam, sed plura adhuc restant querenda. Herbarum hoc tractatus ostendit, in quibus singulas reperire licet, quæ cum singulis particulis corporis naturalem quendam consensum, & mutuam cō munionem (cuius aliam rationem reddere non possumus) habēt, ratione cuius illis aliquo malo affectis, auxiliares uires suppeditant, ut Dictānum cum corde, Eupatorium cum epate, Seseleos herba cū uesicæ folliculo. Myrobalanus, & asplenos scolopendriumue cum splene. Helenium, & Betonica, & Saxifraga, Empetrūue cū renibus. Ruta cum colo intestino. Hyssopus cum septo trāsuerso & pulmone, Gētiana cum cerebro, Petroselinon cum orificio uentriculi (quem stomachum nominant) Scandix præterea & asparagus, & petroselinon, & anisum, & nepeta, & origanus, & graminis, & cardui radix, & citisi, & cincinnalis herbæ per urinas sanguinem expurgant, si cum uino eorum decoctum exhibeatur. Apium naturæ aptitudine comitiali morbo correptis maxime nocet. Vites ad brassicā assitæ diffugiunt, & introrsum in fundum se declinant, quo argumento ad ebrietates eā ualere medicorum decreta statuunt. tanta inter plantas quoque discordia est. Nam quòd brassica ebrietatem impediat, ut cæteros omittamus, Galenus unus ad faciendam fidem sat est, qui in secundo de compositione medicamentorum secundum loca ita ait, & ipsa etiam brassicæ folia aqua calida conspersa, & capiti apposita, & ligata naturaliter ebrietati aduersantur. Atq; hoc quidem ob id profecto prouenit, quòd brassicæ natura suapte sponte temeto aduersetur, non autem (ut quidam asserunt)

runt) quòd brassica cacochyma sit, & crassos lentosque humores generet, & meatus obstruat, & halitus crassiores reddat, qui ad caput subire possunt. Nam hoc non esse uerum ex eo palam demonstratur, quòd brassica iuxta uitem sata non enascatur, quia totis naturis sibi aduersantur, non tamen ea ratio reddi identidem potest. Adde quòd pleraque longe edulia sunt, quæ cum pachychyma magis sint, & crassos magis succos gignere possint, ut carnes bubulæ, ut suillæ, ut caseus musteus, ut pedes animalium, ut uinum atrum, haud tamen ebrietatem discutere nouerunt.

CAPVT Tertium, De amygdalis.



QVinque aut septem amygdalas amaras, si quis ante præmanserit, nec crapula, nec ebrietate fore capiendum, quamuis uino meratius se ingurgitet, & poculis paulo liberalioribus utatur, tum plærique alij, tum uero Dioscorides profitentur. Enimuero (si recte coniecto) amygdalarum amarorem causari possumus, qui meatus astringat, qua halitus ad caput peteret, & sensus sua maiori ui occupet, ut uini uis imbecillior minime sentiatur. Quòd uero numero impari eas exhibendas affirmant, omnino id aut falsum dicere necesse est, uel quòd in occultam causam, & proprietatem referatur, quæ non nisi in tali numero sese exerat. Dioscorides ita scribit. Quin & ebrietatem fieri prohibēt, si præsumantur quinque uel septem, & occidunt uulpes: cum re aliqua comestæ.

CAPVT Quartum, De portulaca.



QVia uero de portulaca multi addubitasse uidentur, ecquid quæ frigidæ sit facultatis, dentium stupores (quos æmodias Græci uocant) persanet à frigidis & acetosis rebus, & immaturis fructibus productos. Nā ratione frigiditatis magis irritare debuerat, quàm mederi, cum contrariorum contraria esse medicamenta oppido sit necesse. Quidam hoc totum in substātiæ proprietatem reijciunt, in quibus est Alexander Aphrodiseus in problematū commentarijs, quo in loco ut aliarum perinde, ita & huius rei causam se ignorare palam fatetur. Inexplicabiles (inquit) quæstiones huiusmodi sunt, cur quibus alæ aut plantæ, aut latera titillantur, rident? Cur ue nonnullis: cum marmora atteruntur, aut secantur, cum stridet ferrum, aut limatur, ipso confestim auditu dentes obtorpescunt? Cur dentium stuporem qui à frigidis pomis proueniat, portulaca tamen quæ & ipsa frigida est, sanat? nec sunt contraria medicamina, sed similia. hactenus ille scribit. Ego uero ut nihil eorum quæ proprietatis sunt, in aliam quampiam causam referre uelim, ita proprietati ascribere ea quorum rationē in promptu reddere licet, alienum porro à ratione esse arbitror. portulacam frigidam & humidam esse nec unquam ego sane dubitem de eius qualitate, sed præter hoc plurimo glutinoso suc

co,

eo, & lentoris multum participe scatet, qui dentium attritu expressus, illis pinguis cuiusdam modo oblinitur, & adglutinatur, & sua uisciditate acrimoniam obtundit, quæ sua subtilitate subiens dentibus nocuerat. Namque ut betæ succus tenuissimus est, ita portulacæ, ut & maluæ crassissimus. lactucæ inter utrumque medius. Atq; hoc ita sane & Galenus in libris de simplicium medicamẽtorum facultatibus sentit, & Paulus ægineta non discrepat: sed aperte fatetur dum ait. Portulaca sua uisciditate dentium stupores à rebus acidis mitigat, & leuigat. Aristoteles quoque prima sectione problematum, dum hoc idem proposuisset, nullam aliam causam attulit ab ea quam nos reddidimus, nã ita eius uerba significant: quæ subscripsi. Propter quid dentium stuporem portulaca soluit, & sales? An quoniam humorem quẽdam habet, qui mandentibus obscurus non est, & si ad tempus reponatur, trahitur quippe humiditas. porro uiscidum subintrans, acutum acreque educit. nam quòd acuitas sit cognata, præ se manifeste fert: habet namq; huius humor succus ue acuitatem. Porro Alexandrum satis admirari nequeo, quòd uel Aristotelem non uiderit, quem alioquin diligentissime lectitasse manifestissimus est, uel si legerat, quare tam cito memoria exciderit, aut si non placuerat, rationẽ nõ dederit, cur minime illi assentiretur.

CAPVT Quintum, De malua.



Sed quæro cur malua uentrem soluit, lactuca quæ ea multis numeris frigidior est, hoc non faciat? An hoc proprietatis munus quoque esse dicemus? haud quaq;, minime id gentium sustinebimus, sed malua quidem aluum imam impellit suo lentore sensim subducens, lactucam tanti esse lẽtoris nõ cognoscimus, ut lente subducere, & lubricum reddere uentriculum possit.

CAPVT Sextum, De alijs quibusdam herbarum uirtutibis.



APuleius Madaurensis philosophus in libello quem edidit de uirtutibus herbarum affirmat, multas tum herbas tum lapides esse, quæ si nossent homines: immortalitate fruerentur, sed non licere ab ijs repertum iri, quoniam nihil esset sceleris, quod committere non auderent, & diuinum cultum negligerent, & licentiores ad peccandum redderentur, uitæ longeuitate freti, sed ipsum potius dicẽtẽ audi. Percũctabar autẽ (inquit) si qua esset herba, uel lapidis genus, per quod posset homo immortalis permanere, & deus multa quidem supra terram herbarum & lapidum genera esse dicebat, quæ si adepti fuissent homines, perpetuam uitam haberent, sed fas non esse, ut scientiam eorum homines cognoscerent. Cum enim paruum uitæ tempus sortiti, leges negligant, & mutuis insidijs animas suas perdere conentur, & manus contaminare tantis malis auide studeant,

paruo tempore uicturi: hi si prolixitatem temporis acceperint, nec deo ipsi parcent. Oues praeterea constat, tum superfluicis & excrementicijs multis humoribus reffertas esse, tum ijs à capite destillantibus, & in pulmones incumbentibus, tabidas affectiones (quas phthises nominant) incurrere, & mille alias defluxiones pati, quibus tamen eæ facile medeantur, quòd in uictimis id uiscus cicatricem contraxisse conspiciatur, ut eas par sit aliquam reperisse herbam, qua morbo medeantur, & callum ulceri obducant. eædem praeterea telis petitæ ocyus à corpore sagittas infixas excutiũt, dyctãmum à Cretensi Ida repetentes. at uero hoībus ab ulcere pulmonis tabidis effectis, fas non est, ut sanentur, q̃uis si nossent, præsidijs morbus non minus cederet,

CAPVT Septimum, De ebrietate quæ fit ex hordei potione.



Magnum & indelebile malum ebrietas est. In hanc qui inciderunt, in nihilo à belluis differentes conspiciuntur. cantillant namque impudenter, & uerẽda interdum aperiunt, & Venerem uiolentam non tam petunt, quàm ferarum lege rapiunt, & præ ebrietate, ubi nam terrarum sint positi, nesciunt, & mille corporis inhonestas gesticulationes faciunt, & nihil denique cum ratione moliuntur, nec pensi quicq̃ habẽt. Proinde quendam ex antiquis philosophis cõsuluisse hominibus accepimus, ut ebrios conspicerent, qui ebrietatem uitare uellẽt, facile namq; futurum reputabat, ut minus in uina laberentur, qui illorum turpitudinem, & oris deformitatem fuissent contemplati. Lacedemonij autem statis quibusdam, & publicis solemnitatibus, seruos quosdam (quos Hilotas dicebant) mero furentes, & debacchantes producebant, ut corũ turpitudine conspecta, sibi cuncti à uino, & calicibus epotandis tẽperarent. Adeo turpius est ebrium audire, quàm furem, apud Spartiatas namque ebrietas, non furtum, summo probro obijciebatur. Nec quicquam apud Homerum Agamẽnoni Achilles grauius habuit, quod uitio daret, q̃ quòd œnobárea, id est uino grauem cõpellauit. Hæc ideo de ebrietate recensuimus, ut sic præfati, de ijs qui zytho, hoc est potione ex hordeo facta sese inebriarunt, mentionem faceremus. Nam cum cæteri qui uino, & largioribus poculis liberaliter sunt usi, ut in temulentiam caderent, omnimodas sese in facies, & effigies Protei more conuertant, & nũc sursum, & nunc deorsum, nunc in unum latus reuoluantur, si quo pacto peruincere uina possint, & despumare falerna sufficiant, qui hoc ebrietatis genere ex hordeo ebrij sunt facti: hoc exæreton, id est peculiare patiũtur, quòd in nullam aliam partem corporis decumbunt. sed supino duntaxat habitu, in terga iaceant, ut Athenæus auctoritate Aristotelis in libro de ebrietate, libro dipnosophistarum decimo narrat, cuius uerba si

quis

quis forte requirat, hæc sunt. Vt inquit Aristoteles, in terga concidunt, qui hordeaceum biberunt, quod pinon uocant. uerumtamen priuatum quid accidit in ebrietatibus, quæ ex hordeo. Nam qui à cæteris quæ ebrios facere possunt, fuere inebriati, in partes omnes cadunt: nempe in dextras, & sinistras, & proni, & supini perstant, soli autē qui ex pino ad temulentiam epotarunt: in posteriora & supini inclinantur. Hæc igitur cur eueniant dicere non possumus: sed cum cōtingant à proprietate fieri non immerito dicimus, quo dicto nihil aliud significamus: quàm illud à quo ea res prodit, ui & facultate id opus producendi esse præditum: perinde acsi grammaticum docere grammaticam, & fabrum lectū facere, uel scānum diceremus, quia eas artes didicerunt. Porro ea uis siue facultas olim cum elemēta mutuo inter se & agerent, & paterentur: ut mixtum componerent, iam tum comparata est.

CAPVT Octauum, De uino.



E mero autem inter omnes rei medicæ scriptores constat, quòd tota substantia & occulta proprietate natiuo calori familiarissimū sit: & maxime cognatum, cuius causam facile dicere nō possumus, ut & concoctiones adiuuet, & digerendo per totum corpus alimēto conferat, & substantiam caloris innati adaugeat, & celerrime transmutetur, & in membrorum naturam conuertatur, unde non magis potum quàm cibum, ut est apud Galenum tertio de alimentis uinum dicendum esse, nonnulli merito asserebant: quòd non solum deducat (instar potionis) cibos, sed & ipsum nō inepte alat corpus. Nec uero in poculentorum loco, uino dumtaxat ueteres fuisse usos accipio, sed & condimentis passim uini quidpiam admiscuisse eos inuenio: quòd omnium prompte in se qualitates suscipiat, quas mox in membra restituat. Quam ob rem quidam nec ab opere pistorio, nec coquinario, merum remouendum, sed non nihil omnibus quæ ad alendum corpus cōcinnātur, eius admiscendū esse uoluerunt.

CAPVT Nonum, De eo quòd in aliena arbore diuersi generis ramus nascatur.



On est proprietatibus ascribēdum quòd in alienæ arboris trūco, alterius ramus non dedita opera innascatur, quamuis hoc nonnullis admiratione dignum uideatur, cum in non sua arbore pendentia poma contemplentur. Theophrastus eiusce rei causam talem affert, quæ mihi sane non inelegans uidetur, quòd alites scilicet arborum fructibus depastis, quos in uentre confecerint, cum ad arbores diuersas conuolarint

larint, & inter illarum ramos consederint, excrementorum ratione per aluum semina fructuum egerant: quos comederunt, quæ si materiæ subsit copia, & alimentum apprehēdant, & surculum acta radice producant: perinde ac si insitio agricolæ manu facta esset.

CAPVT Decimum, De helenio, scāmonio, helleboro, tithymalis, coturnicibus, & aloe, & braßica, & lente, & trifolio.



Elenio (ut scribūt) Daci, & Dalmatæ populi innocēter in dapibus uescuntur, eodem tamen consperso lœtales sagittas inficiunt, & illitis eo telis animalia uenatu perimunt, & occisas ceruas comedentes, nihil ipsi nocentur quia aliud longe est, si uenenum uel quæcunque res alia sanguinem: & uenas perreptet, uel integrum in uentrem deuoretur. Cicuta homini exitialis est sua frigiditate. sturnis nihil noxia est. in homine latitudo uenarum, & caloris copia, & robur facultatis attrahentis in causa sunt, ut uenenum ocyus ad cordis arcem contrahatur. sturnis omnia sunt contraria. Nullus scammonia uirorum inter epulas impune uteretur, sed eius noua germina in Asia capellæ comedentes, lac dumtaxat purgatiuum habent: eædem Tithymallos interdum edunt, quæ sunt homini uenenum. Helleboro, id est ueratro coturnices aluntur, quod conuulsiones suapte sponte facere natum est. plurimosque solo coturnicum esu, conuulsionibus captos Galenus se nouisse tradit. Hebræorum populus (ut diuina oracula produnt) coturnices cælo delapsas comedens, miseranda clade confectus est. inde in cibis eius damnata caro est, quod ueratro alantur, quod hominibus ualida purgatio est. Cepæ exulcerāt, si ex ijs mēbra fricentur: intus nihil tale facere conspiciuntur. In totum non posse idem uerū est, & quæ intrinsicus sumuntur, & quæ extrinsicus exhibentur. Pari ratione lentes, & brassica: & lapathum, contrarias in se facultates inuoluunt: nempe eorum iura aluum peruertunt, ipsa uero biscocta præcipue retinent. Aloe item conspersa uulnera compingit: & defluxiones cohercet, per os ingesta purgatorium uentris medicamentum est. hoc idem chalcites patitur. Miras omnino hoc in genere uires trifolium ostendit herba (quæ iacynthus nominatur) huius quippe semine decocto, si membrum foueatur à phalangio uel uipera morsum, perfecte sanatur: si uero locus sanus eo perfusus sit, consimiles illorum animaliū morsibus dolores concipit, ita prorsus eādem affectionem (mirandum est) eadē herba & sanat, & facit.

CAPVT Vndecimum, De dactylis.

Palma-



Almarum glandes (quas tum dactylos, tum phœnicobalanos nominant) ut scribit Galenus secundo de compositione medicamentorum secundum loca, proprietatem quandã habent, ut faciant dolorem capitis. Easdem si quis uirides in cibis comederit, ut idẽ Galenus ponit libro de morbo regio, sufficiẽter cruẽtas urinas excernet, proinde arquatis earũ usus cõcedẽdus est, ebrijs aũt & caput dolẽtibus prohibẽdus.

De alexipharmacis, & de semine citri.

SVnt quædã medicamina quæ alexipharmaca Græcorum medici appellãt, quorum hoc potissimum munus est, ut uenenis assumptis se opponant, & deleterias facultates expugnent, hijs si quis assuescat, uel læditur tanq̃ à ueneno, uel paulatim proprietatem quandam acquirit uenenosam, qua fiat, ut à ueneno lætali nihil mali patiatur, unde horum usus à medicis sanis hominibus interdictus est. Omnes tamen in hoc conueniunt non esse de seminibus citrei, hoc est mali medici intelligendum. hæc namq; & si uenena expellant, & corpus indita proprietate minime sentire noxam ueneni faciant, nihil tamen sanis officere possunt, si ijs uescantur in cibis, si qui ab acceptione mortiferæ potionis sibi male metuãt. Vetus & iam olim recepta persuasio est, quòd si quis caricis cum nucibus, aut auellanis ieiunus utatur, immunis futurus sit à læsione ueneni, & præcipue si rutæ folia aliquot simul comedat.

CAPVT Duodecimum, De aconito.



Conitum herba uenenosa nuncupatur, cuius species quædam pardalianches dicitur, quòd pardalem esu interimat, aduersus præsentaneum hoc malum stercus humanum antipathiam habet, & remedio maxime utili auxiliatur. Qua propter tam alte suspensis humanis excrementis: ut illac saltu scandere nõ possint, hoc amuleto confisas: postquam plurimis saltibus delassatæ fuere frustra, uenatores in prædam accipiunt. ex Aristotele & Nicandri iterprete & alijs.

CAPVT Decimumtertium, De smilace.



Criptum Dioscorides, reliquit quòd smilacis tracheæ, hoc est asperæ: si quis fructũ, id est semen: contusum ex aqua, infanti nuper genito bibẽdũ propinet, fore, ut nũq̃ à uenenis quibuspiã noceatur. uulgo olim hoc proditum est, & nunc quoque rusticæ mulieres persuasum habentes, hoc usurpare solent.

CAPVT XIIII. De tithymallis & alleis.


Ithymallorum lacte & succo, si quis in papyro uel in mēbranā litteras inscribat, & cinere calido conspergat, legi poterunt optime, quo ingenio nonnulli ut clam litteras darent, in bellorum tumultibus usi sunt. asserunt quidam leuatum iri dētium dolorem, si allea contrita quis modo ex directo partis affectae, dumtaxat ad radicē manus apponat. Enimuero alijs id equidem experiundum relinquo, nā mihi nunq̄ tāta meliorum praesidiorum ingruat inopia, ut ad incerta me cōferam. alij quibus haec curiosius scrutari non piget, aiūt, quod allea rubificando, & exulcerando, superfluū aliquem humorem asciscant, qui dentibus nocendo esse possit.

CAPVT Decimumquintum. De rhododaphne.


Hododaphne quae à rosae & lauri similitudine nomen mutuata est, omnibus ueterinis esu suo laetum affert, unde hanc pecora contingere sibi conscia cauent, ne pro pastu uenenum comedant. atq̄ hoc & experientia subscribit, & Dioscorides testatur: dum ait. Folia eius, & flores perniciem omnibus iumentis afferūt. homini uero contra serpentū uenena remedio est: in uino pota, magisq̄ ruta addita. Pecora quidē infirmiora, ut oues, ut caprae, si aquā biberint, in qua maduerint folia, moriuntur. Sed & Lucianus quamuis historiam non scriberet, sed fabulam texeret, huius rei ueritatem tetigit, cum se huius fructicis rosis pene periturum fuisse narrat, dum ad eius rosas morsu uiolandas accederet, quas ueras tamē esse putaret. audierat nāq̄ extremum hoc dumtaxat, & praesentaneum sibi praesidium futurum, si rosis aliquando saturatum illum iri contingeret, ut ab asino: in quem potionis ueneficae haustu fuerat conuersus, in hominem mutaretur. Video (inquit) hortū retro aulā, qui multis, & pulchris oleribus cōsitus erat, sed & rosae prae caeteris apparebant. ast ego latens cūctos qui intus erant, ad hortum uenio, partim ut crudis holeribus uescerer usq̄ ad satiem, partim ut rosas ederem: mecum enim reputabam, quod si uidelicet ex rosarum floribus comedissem, rursum in hoīem euadā. Postq̄ autem hortum petiui, lactucis quidem, & radiculis, & apijs, quae uel cruda homo deuorat, repletus sum: rosae autem illae quas putauerā, nō erāt uerae rosae: sed ex agresti lauro rosae illae enatae fuerant, (daphnem hoc est laurum, hanc homines uocant) malum extremum, tum asinis cunctis, tum equis, aiunt enim, quod eius comestione confestim moriantur. Hactenus Luciani uerba recēsui, qui festiuus locus apparuit, ut legētiū tātisper iocūdae narratiōis animos oblectatiōe tenerē. mirādū autem de huius fructicis natura est, quod cum iumēta interimat, hominibus remedio sit, ne serpentum noxam sentiāt.

CAPVT XVI. Quod rerum naturae in alias aliae transeant.

Mirum


Mirum est quòd rerum naturæ in alias aliæ transeunt, quod tamen usu deprehenditur: Chalcanthus est aqua congelascens in Cypri metallis, hoc multo tempore in Chalcitem transit: ut inquit Galenus. Quin & chalcitem, & sori, uetustate in mysim cōmutari, ex superficie mutatiōe incipiēte idē auctor reffert. Rursus cum annus degenerat, triticum in lolium infœlix permutatur, (quod æram Græci uocant) & hordeum in auenam (quam ægilopem indigitant) quod tametsi à Theophrasto & quàm plurimis alijs est assertum, tamen ut fides certissima habeatur, ex Galeno, primo de alimētorū facultatibus cōmentario, citare sufficiat, ita enim ait. In frumē tis æræ, id est lolia, multoties plæræque inueniūtur, in hordeis autem modicæ: sed plurimus in ijs ægilops uocatus, id est auena reperitur, quando in primo incremento, uel generatione infœliciter degenerauerint. Idem auctor eodem in loco testatur, in lentibus ex mutatione earum, aracos duros, & rotundos, & pelicinos, nimirum semina, & legumina quæ edendo non sunt: generari. aparinæ præterea herba lentibus innascitur, intus enim circumplicatur lentium plantarijs, ita ut suffocet, & strangulet ea, non secus ac orobanche, orobos strangulare dignoscitur, unde hanc appellationem habet.

CAPVT Decimumseptimum, De quibusdam alijs proprietatibus.


Quia ea quæ non satis certa ratione contingunt, in hunc locū cōijcere decretum est, non enim tantum ordini & elegantiæ, quantum legentium utilitati studemus, ideo nonnulla quibus experiētia attestatur, ratio uero nulla, cur ita fieri debeant, subinde apparet, ex grauissimis auctoribus sumpta in hoc loco colligā. Dextri pedis pollex uinculis exceptus, & arcte constrictus, uim habet: ut sanguinis fluor ex naribus compescatur. ex aetio. Paulus autem ait, quòd licet uincula arctubus adhibita, sanguinis hæmorrhagiā sistere maxime possint, glandis tamen quæ præputio tegitur, colligatio, hoc imprimis facere potest. Hoīes qui scrotū dydymis, testibusue proximius, & magis adhærescens habēt: sūt uiribus robustiores, nā quibus laxi depēdēt, eos imbecillos esse certum est, ex aetio & Galeno. Pēnas ciconiæ efficere, si eas quis domo habeat, ut pueri nō sternuāt, aetius testatur ex Appollonio. Semē erucæ tritū ex aliquo liquore ante exhibitū in potū, ijs qui tormenta sunt subituri, facit, ut uel non sentiātur, uel sint leuiora. spiritus quoq; retētio, hoc idem committendi uim habet. Eos qui morituri uitā agunt, nō posse animā efflare, dum mare refluat, ex sententia Aristotelis, Plinius secūdo de naturali historia reffert, earatione (ut puto)

quia æstus maris efficitur, dum Luna super finitorem scandit, qua sublimem sese ferente, impossibile est, ut cõclamati spiritum exhalent. Neminẽ enim uita destitui Luna ascendente constat, eo quòd habitum corporis suo tepido humore tueatur. Theophrastus scribit Indum monstrasse herbam, qua quispiam ad coitum quinquagessimum sufficere posset. Idem prodit Eudemum philosophum quàm plurimas helleborí potiones sumpsisse, & nihil ea re offendi solitum, eo quòd pumicis scobem tritam ante deuorasset, cui uis est desiccatoria. eius rei ea causa reddi sane posse uidetur, quòd pumicis facultas astrictoria præcluderet, & obstiparet meatus, ut nequaquam medicamentum per corporis uenas diffunderetur, ut ita turbationem cieret. Fœnum Græcum calcãdo fœlicius prouenit: mirum reperiri aliqua, quibus neglıgẽtia prosit. aqua quæ per imbrices, & canales plumbeos defluit, dysenteriam, id est intestinorum difficultates facere nata est. Calceos ex canino corio concinnatos arthreticis prodesse, Scribonius prodidit.

CAPVT Decimumoctauum, De adamante.



T quoniam de adamante incidit mentio, non prætereundum nobis est durities illius inuicta, & intractabilis, qui ab indomito ingenio nomen mutuatus est, nam & incudes, malleosque contemnit, & certantium ictus nihili pendens: permanet infractus. Hircino tamen hic sãguine superatur, ut frãgi: & friari in multas particulas possit, quod quidam à proprietate procedere aiunt. Ego autem nihil eorum quorum apertam possumus reddere causam, opus esse proprietatis arbitrari uelim, nec in occultas uires reijcere, quod à manifestis qualitatibus prouenire nihil obstat. Hircus siccißimæ est animal craseos, & præcipue masculus, nam fœminæ sunt humidiores. huius temperamenti siccitas, uel ex caprinis baccis (quas scybalos dicunt) quæ nullo prorsus humore madent, comprehendi potest. Gignit inde adeo tenuissimum, & subtilissimum sanguinem, qui tum maxime si asciscat feruorem, subeat facile, & ingruat in adamantis partes, ut friabilem reddat. Nec uero Hircinus cruor duntaxat se solo adamantem comminuit, sed emolliens, & ueluti cuneus in illius meatus penetrans, cedere ictibus, & sentire malleorum percussiones compellit. Præterea quandocunque inter aliqua proprietas quæpiam intercedit, inter alia diuersi generis, eadem aut similis penitus non reperitur. ut magnes in ferrum sic uim suàm exercet, quòd non in aliud quodcunque metallum. succinum leues pellicit stipulas, uirtute in nihil aliud utitur. Si igitur hircinus cruor talem uim haberet innatam, in adamantem duntaxat uires experiretur, alios uero lapides non

conte-

contereret, quod diligenti priscorum medicorum experientia constat esse falsum, qui nullum aliud præstantius remedium hircino sanguine, ad confringendos renum & uesicæ calculos nouerunt, si tepens adhuc, & recens à uulnere supra locum affectum instilletur.

CAPVT Decimumnonum, De alijs nonnullis lapidibus.



ET quoniam lapidum proprietates quasdam narrare cœpimus, alias quoque id genus uires persequamur. Iaspis uiridis (quem nõnulli smaragdum nominant) difficultati intestinorum, & cæcis hæmorrhoidibus, occulta & peculiari ui prodest, & uẽtriculum, & stomachum addito robore confortat, si suspensus geratur. Huius rei se euidẽs periculum fecisse, facto ex ijs torque, à quo ex collo pendente lapilli propenderent: qui contingerent uẽtrem, Galenus narrat. Zoar quoque medicus arabs non ignobilis, se cum mortiferam herbam gustaßet, accepta in ore integra smarago, & alia ad fouendum os uentris posita, à præsenti exitio tradit mox fuisse liberatum. Veteres ueratro ad purgationes atræ bilis duntaxat utebantur, quo Prœti furentes filias sanauit Melampus, sed secuta ætas inuenit lapidem armenum, quo non aliud magis ad furoris morbum medendum, & ducẽdam sine noxa bilem atram ob occultam uim commendatur, hunc officinæ nostræ ætatis ignorant, & pro armeno: lapidem Lazuli (quem uocant) uendendum supponunt. Non tacendus itẽ est hæmatites lapis qui sanguinem reijcientibus, aut alio quocunque modo screantibus mirificam opem afferre medicis assentientibus inuentus est, si subtilißime tritus, & per colum ex uino transfusus, potandus propinetur. Quòd si Platoni fides habenda est, & non inepte tantus philosophus aniles fabulas accipit, Gyges quidam pastor cũ armenta pastum duceret, tellure cõcussiõe rupta, spelæũ ingressus, mortui hominis cadauer inuenit annulo insignitũ, cui ea uis erat, ut qui gereret, & uidere, & non uideri posset. si sphendonen, hoc est palam qua gemma insculpitur: ad res alias conuertißet, ipse uideretur, intus uero pala uersa, duntaxat foret conspiciendus, quo dempto regiam ingressus, rege interfecto, rerum potitus est. Non est etiam inter prætereunda ponendus chelidonius lapis in pullis hirundinum dissectis ab anatomicis inuentus, qui comitiales subleuare appositus, & perfecte sanare suspensus pro amuleto potest, atq; hunc primigenio nato, mater hirundo natura mõstrãte repertum exhibere traditur, ne cõsimili morbo arripiatur. Scribit quoque Aelianus de oße ex tibia accipitris accepto, quòd si aurum admoueatur, occultis illecebris ipsũ attrahat, nõ secus atq; ab Heracleote lapide ferrũ ducitur, nec hoc mirũ.

Habent enim singulæ res cum quibusdam alijs affinitates, & cognatiões quasdam, & rursum cum alijs simultates gerũt: & sicut graculus cũ graculo, cornix cũ cornice, monedula cũ monedula, mutuo cõgaudẽt, iuxta ueterũ parœmias, ita inter quascunq; res substantiæ aliqua similitudo cũ alijs intercedit, & naturalis quædã beneuolentia, & amor, qui eas uicissim connectit. Vnum quodq; autem cum ijs delectatur, & ad ea properat cum quibus communitatem in substãtia sortita est, & (ut inquit Homerus) semper simile perducit deus ad simile.

LIBER QVINTVS. ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS DE OCCVLTIS PROPRIETATIBVS,

Est ueluti epilogus, & conclusio, & confirmatio totius operis.

CAPVT PRIMVM, IN QVO ostendit non debere haberi miraculo, nec fidem derogari, ijs quæ hactenus de proprietatibus sunt dicta.



PERVI SATIS QVO AD FIERI POtuit aperte, quid de hijs proprietatibus eßet sentiẽdum, & simplici deĩde deductoq; stili filo, quasdã rebus inhærẽtes proprietates prosecutus sum. Postq; uero multos tã male affectos reperias, ut meras eße nugas quæcunque talia dicuntur, existumẽt, & longas cachinnationes faciant, quoties similia commentantes audiunt: non grauabor illorũ manuducendorum gratia, etiam in hac parte meam operam præstare. Ego enim ita sum animatus, ut uel minimis etiam rebus maximas, & admirandas inesse uires mihi persuadeam, nec dubitem quin in meam hanc sententiam ibunt: qui nostra hæc quæ sumus scripturi, non oscitantes perlegerint. Primum itaq; ostendam, in paruis talia conspici, & repertum iri, quæ si quis diligenter considerauerit, non temere quæ scripsimus, dicta esse arbitrabitur, & ijs potißimum persuasionibus utar, quas Galenus

nus adduxit. Principio igitur ij qui in artis operibus uersantur, satis exploratũ & manifestum habent, fieri comitiales insultus, aura quadam tenui, aut exili halitu ascẽdente ad caput, quod cum contigerit, præcipites in tellurem mox corruant, & totius corporis conuulsione tententur. Ad hæc in ijs naturis, quas polyspérmus, hoc est multiseminis Græci nominant, si præter solitum à coitu abstinere contigerit, ita ut plus de semine cumuletur, tum capitis dolore uexãtur, tum cruditatibus, & fastidio torquentur, & decoloratiores omnino fiunt, si non excernãt, quod cõgesserũt. Atque hæc maxime in uiduis fœminis accidunt, retento semine, ut & omnino non sentiant, & immobiles perstent, & uoce, & spiratione, pulsuumq; usu prorsus priuentur, ut diem iam obijsse eas: & fato functas esse merito quis existimare possit. Præterea (ut medicorum cõcors opinio est) inter latitudinem sanitatis tam uiciosi, & pestilentes succi, humoresque procreari possunt, quibus aliqua causa commotis, non tardior uel mitior mors consequatur, quàm si uenenum quis sumpserit. Vnde in disceptationem, quæstionemq; medẽtium uenit, si sint aliqua signa pecularia per quæ haustum uirus deprehendatur, cum paria prope modum ab humoribus in corpore genitis fieri poßint: ijs quæ à poculi lœtalis assumptione succedunt. atque in id tandem deueniunt, & rem deducunt, ut aßerere non dubitent, quin si quis probis humoribus scatens, & qui egregia usque quaque fuerit educatione usus, subito intereat, ueneno is fuerit sublatus. Cum igitur uel auræ cuiusdam exilis leuis afflatus, uel gutta genitalis retenta, uel humor in nobis natus, tantam uim habeant, ut sufficiant crudissimos casus, & morte nõ minores pene cruciatus inferre, quis (inquã) per hæc ueluti uestigia tẽdens, dubitet credere: quòd totas ipsas rerum substantias: tales facultates consequantur, quibus uel sospites facere, uel uitam tollere queant, uel alios denique ijs maiores operentur effectus?

CAPVT Vltimum, in quo prædicta hactenus confirmantur, & coronis libro imponitur.



IAm uero si quis à phalangio percussus fuerit, subito totũ corpus permutatur, & tamen minimum quid uirus esse oportet: quod per tenuissimum morsum emittit. Quod autem admiratione dignißimũ est, & quod omnium animos mouere debet. scorpius terrestris cum aculeum habeat, qui in tenuißimum finem desinat, ut nullus meatus, uel rimula sub ilißima in eo appareat, qua uenenum eructuet, ita tamen quos pupugit, afficit, ut sibi à grandinibus petiti, & frigida pruina uideantur, & tamen non simplicẽ puncturam (qualis ab acu fieret) fecisse reputari debet, sed uel spiritum, uel auram quandam, uel qualitatem per cõsensum partis, quæ plagã accepit, in uniuersum traditã, quæ ab affecta una particula

cula, totum simul corpus affecerit, imaginari omnino opus est. Et scorpij quidẽ morsus in imum penetrare potest, ut nõ ita mirum sit, si penitioribus membris læsis, ab illis in omnem partem noxa diffundatur. phalangij autem ictus cum summam duntaxat cutis superficiem ob spiculi breuitatem contingat, nihilo tamen minus & sic totum corpus afficit, quia una cutis particula damnum sentiente, tota cutis simul afficitur, & læsionem communicat, quia undiquaque continua sibi est. cute autem affecta; quin omnia membra subiecta etiam afficiantur, impossibile est. Atque hanc quidem rem maximum argumentum reputasse sane Galenus uisus est: ad ostendendum à paruis & minimis rebus ingentes interim alterationes cieri. Quis (inquit) nostrum fidem unquam habuisset, nisi sæpißime hoc factum uidißemus, cum uel scorpij spiculum applicarint corpori, uel cum phalangia morsus infixerint, magna & incredibili mutatione corpus alterari, quamuis breuissima prorsus substantia ab ijs bestiolis in ipsum infundatur? Porro cum phalangium momordit, quamuis paruulum sit hoc animal, attamen uirus aliquod per ipsius os immitti demorso corpori imaginari possumus, at marinæ turturis aculeus, ut & scorpionis terreni, conspicuo sane in acutissimum terminum desinere apparet, qui nullum in fine foramen habeat, per quod uenenum regurgitet, sed tamẽ considerare substantiam aliquam, siue spiritualem, seu liquidam necesse est, quæ mole quidem sit minima, uiribus uero sit maxima. Quidam igitur cum nuper ab scorpio percußus esset, sentire se dixit, quasi grandinibus percuti uideretur, & totus erat frigidus, sed & sudabat quoque frigidum, qui uix remedijs adhibitis sanatus est. Non igitur impossibile fore dicebat Pelops: ut in corpore sine extrinsica causa talis quædam substantia generetur, quæ cum in neruosa particula constitutionem habuerit, propter continuitatem in principium neruorũ uirtutem transmittat, uel per alterationem (ut dixi) uel aliqua spirituali substantia, tanquam aura, sursum sublata. nam & uehementissimis accidentibus capi conspiciuntur illi, quibus adhunc modum, uel in neruum, uel in uenam, uel in arteriam scorpius aculeum adegerit. Sed & sexto eiusdem uoluminis libro acriter illos obiurgat, qui de iam dictis hæsitare sibi permittunt. Quicunque (inquit), cum magna accidentia in toto corpore fiant, paruum aliquem humorem in quapiam particula contentum causari dubitant, ij mihi eorum quæ indies passim euenire cernuntur, nimium sane immemores uideri solent. Ad phalangiorum sane morsus totum corpus affectum uidetur, cum paruum omnino uirus sit, quod per breuissimam rimulam immittitur. Quod autem in scorpijs accidit, longe admirabilius est, eo quòd seuissimos inferant casus, minimo sub temporis spatio, cum id quod inijciunt, quando spiculo adhæserunt, uel penitus minimum, uel omnino nullum sit, cum aculeus pertusus minime appareat.

pareat. Et tamen necessarium est, non propterea quod punctus quis simpliciter sit tanquam ab acu, quod totum corpus pruinis percussum existimetur: simul cum animi deliquijs, sed uel aliquo spiritu immisso, uel tenui humiditate hæc fieri rationi consentaneum est. Apud Xenophontem quoque de phalãgiorum morsus efficatia fit mẽtio. nam cum Socrates basium, ubi quis amatum puerum obscularetur, tanta ui prædìtum esse diceret, ut extra mentem poneret, & ea facere cogeret, quæ nec insanientes facerent, ita eũ Xenophon interrogat in hũc modum. Per Herculẽ (inquit) magnã & ingentem uirtutem osculi esse narras, & hoc, respondit Socrates: admiraris? An non nouisti (inquit) quod phalangia cum ne semiobolari quidem magnitudine cõstent, ubi dũtaxat ore tetigerint, tũ doloribus hoĩes torquẽt, tũ illis mẽtẽ peruertũt? Profecto sane noui, inquit Xenophon, sed immittunt quippiam per morsum phalãgia. O stulte subintulit Socrates: pulchros nõ arbitraris, cũ osculãtur, immittere quiddã, quod te lateat? non perspicis quod hæc fera (quam pulchrũ, & formosũ, uenustũq; uocãt) tãto est phalãgijs grauior: quanto illa quidem solũ tãgentia nocẽt, hæc uero & si nõ tãgat quis, solũ si eã intueatur, tale quid uel multũ procul iacit, quod delirare facit? Semẽ porro hũanũ, quis nõ stupescat, quot ĩ se facultates habet, quot organorum discrimina format: quot mẽbrorũ facit differẽtias: cũ tamen minima, uel exigua oĩno mole sit præditũ? unde Proclus cũ de deo loqueretur, nulla alia rationatiõe magis quam seminis humani usus est, secũdo cõmẽtariorũ quos edidit in Thimæũ. Admirari (inquit) hoc nõ oportet, si quidquã cũ sit ĩcorporeũ, & nullã dimensionẽ habeat, hoc uniuersum cõdiderit, si quidẽ semẽ humanũ tãtillã magnitudinẽ obtinens, tot diuinas in se facultates obtineat, & tot partiũ differẽtias moliatur, & substituat, & in singulis ratiões oẽs. In solidis ut ossa, hæc quidẽ plæna, hæc uero caua. In mollibus autẽ, ut pulmones, & iecur. In siccis ut ungues, & comas. In humidis ut pituitã, & sanguinẽ. In pinguibus ut medullam, & pinguedinẽ. In amaris ut bilẽ. In nullã qualitatẽ habẽtibus ut sputũ. In spissis ut neruos. In explicitis ut mẽbranas. Hæc autẽ omnia tã similaria q̃ quæ ex ipsis constãt, ex parua ferme mole cõstituit, immo ex nulla mole, ut magis uerum fatear. Nam rationes seminales hæc ipsa generant, eæ autem ubique nullum locum occupant, nec magnitudinem habent, quamcunque enim partem seminis acceperis, in ipsa omnes naturales rationes inuenies. Hæc igitur si quis accurata cogitatione reputet, satis scio: admirari, & ambigere desinet, ea quæ proprietatibus attribuuntur.

LIBRI quinti & ultimi, De occultis proprietatibus

FINIS.

AN-

ANTONII LODOVCI MEDICI OLYSSIPPONENSIS, DE EMPERICIS, ET MISCELLANEIS QVIBVSDAM LIBER VNVS.

PROHOEMIVM.

QVONIAM MVLTA EXPERIENTIA ostēdit, casu quæ sunt facienda significans, quæ nunquā longo tēpore inuenisset ratio, qualia ferme sunt quæ de proprietatibus quarundā aut herbarum, aut lapidum populus credit, ideo hic in hoc paruulo syntagmate emperica quædam, quæ nulla ratione fulciuntur, sed uulgum tantum habent auctorem, apponere constitui, ut qualiacunque sint, non laterent. atque illud (quod in uniuersum mihi dictum sit) admonendū imprimis duco, me hic scripturum pleraque, quæ nec probo, nec damno, quoniam nec illorum ullum periculum feci, & pauca ex eis auctores habent, qui talia asserant: nam hæc medici nisi extremo periculo admoniti, ægris libenter talia adhibent remedia, sed quando quæ ex qualitate manifesta operantur, iuuantia non sentiunt, ad ea præsidia quæ tota substantia munus suum obeunt, tanquam ad Salaminiam triremim confugiunt, & machinam in altum tollunt, ut est prouerbio, quod ideo dixisse uolui, ne quis omnibus quæ dicentur, suā omnino astringat fidem meo periculo, sed potius in dubijs (ut Plinius ait) auctores appellentur. Ideo autem hanc operæ leuioris curam desumpsi, quoniam sunt quidam ita nati, ut certiora ea credant, quæ uetularum fabulis decantantur, quàm quæ sunt philosophantium disputationibus probata, quorum stomacho à me satisfaciūdum fuit. qui (ueluti qui apud Græcos cytharædi esse non possunt, aulœdi, & tibicines, uel siticines fiunt, ut per pagos, & rura euntes, quod comœdis erat in more, stipem aliquam tenuem sibi comparent) quoniam ad magnas artes ingenij, & industriæ plenas aspirare non possunt, ad hæc experimenta per mortes agenda (ut magnus dixit auctor) diuertunt, ita ut non propterea quia fieri debeat, faciundum aliquid censeant, sed quoniā ita factum aliquando, & experimento probatum ab aliquo congerrone inter potandum (si forte contigerit) audierunt, quæ ut bene quandoque succedunt, rarum tamen quid est, præ ijs quæ nullum exitum sortiuntur. Adde quòd isti qui

emperici, & obseruatiui uocantur, quia non ex methodo, inuentis pharmacis utuntur, si in uno non bene cedat remedio adhibito, ad aliud rite transmutare nesciunt, ut qui ignorent causas, ob quas medicamen non fuerit operatum, quas si nouissent, facile erat, uel addentes, uel remouentes à ui pharmaci commodam medelam inuenisse. Nũc cũ (si ita res ferat) eos non lateat cauum ulcus esse carne implendum, solutionem cõtinui uniendam, lapidem in uesica tollendum, renum calculum in aliam partem, si frãgi nequeat, deriuandum, quæ nullus idiotarum non nouit, per quæ tamen, & quibus auxilijs, aut caro inducenda, aut lapis exterendus, ut sanitatem nanciscamur, (quod iam medicorum erat proprium) nihil diffiniunt. Igitur ne illis qui non certa destinatione animi, sed ex parergo in hoc opusculum inciderint, orexim & fastidia gignamus, præscriptis (quod aiunt) uerbis, omnem uerborum luxuriem amputantes, omnia prosequamur.

De cornu monocerotis.



ORNV MONOCEROTIS: SI ILLVD qui uenenũ quodcunq; biberit, ex uino, aut aqua abrasum sumat, ab omni noxa seruare perhibetur, quod quia à nullo antiquorum est relatum, quibus solis reuerentiam defferendam reor, quāuis à multis affirmetur, sub dubio relinquo.

De helectro.



Efferunt item paralyticis, id est illis qui sensum & motum alicuius particulæ deperditum habent: ex salute esse, si ramale factum ex orbiculis succini, seu helectri supra membrum gestauerit.

De ungue aquilæ.



Orte fortuna cum ad aurificem deuenio, offendo quendam, qui argentei annuli pala: aquilæ unguem iuberet includere excussori, rogito, cuiusnam rei gratia, respondet, puellam cordis ualitudine affici, ad eam rem aquilinum unguem, dum carnem tangeret, apprime conducere, argento clausum, auro non ita ualidam uim obtinere. addebat uolucrem cardiaco morbo sæpius tentari, atque ubi pede, atque unguibus, pectus pulsarit, atque percusserit, sanitati mox restitui. Ego nihil aliud testatus, q̃ melius facturũ illum, si fœminam medico committeret, quàm istius modi nugas, quæ aliud non sunt: quàm anicularum commenta, consectaretur, homine salutato discessi.

De uino.


Inum quòdcunque ex tertia aquæ parte temperatum, ubi in duplici uase, ad ignis uaporem ebullierit, usque ad quartæ unius cōsumptionem, si exhibeatur syrupi uice matutinis horis, quibuscunque febri biliosa laborantibus, per urinam, bilem omnem educere, atque intra quatriduum hominem reddere incolumem, sunt qui polliceantur, & constantissime promittāt. ego ut nunq; probaui, ita alijs iudicium & periculum huius rei faciundum relinquo.

De eodem.


Ino nihil esse naturæ humanæ magis cōforme nullus ferme est medicorum, qui nō tradat: certatim laudantibus cunctis miram eius in alendo corpore uim, & celeritatem, & moderatum eius usum commēdātibus: atq; pene stupentibus: quàm cito reuocet eos: qui in deliquium animi inciderunt. Porro Cordubensis Auerrois hoc præter cæteros dicere ausus est, quòd non transit per tot coctiones, sicut alia cibaria, quæ quidem primo coquuntur, deinde in sanguinem uertuntur, & tum demum nutriunt, sed ex ipso immediate spiritus generentur, qui labantes, & fluxas facultates confoueant, atque sustentent. Vinum autem quamuis somnos allicere sit natum, communi omniū humectantium, & calfacientium ratione, ubi tamen in ætate processerit, uigilias facere monstrauit Galenus: exemplo pueri qui abeunte inbalneas ad lauandum hero, in aquæ inopia, uino quod male custoditum relictum fuerat, epoto: primum quidem uigilijs: deinde febri correptus, uitam cum morte permutarit.

De aqua uitis.


On dubitant asserere chymistæ, & ex medicis nonnulli, aqua illa sua ardēti, corpora si illinantur, nō putrescere, cōmēdari odorē oris, uina ubi corrūpi ceperint, hac perfusa modice: integritati restitui, turbida quæ sint, mox clarificari, omniū infusorum in eā qualitates rapere, & quod postremum est, miras in tuenda sanitate uires obtinere, si illi qui frigidiore sunt temperatura præditi, ætate, morbo, aut natura, non pleni crapula, nec plethorici, indies ex ea, aut pura, aut uino modice mixta utantur, dum modo qui uētriculum caloreni- mis destitutum habent, eā parcius assumant, quoniam non minus ab immodice calidis, quàm à frigidis istiusmodi homines lædantur.

De aqua uitis iterum.


Am uero nec illud latere arbitror, quòd ueluti spiritus est halitus: & tenuissima sanguinis pars, in uenulis & arterijs cerebri, longa & flexuosa ambage decocta, ita & aqua uitis nihil aliud sit, quàm animus uini (si dicere fas est) tam sequax, & parens ignibus materia, ut si lu-

cernam

cernam illi admoueas: mox igne concepto abeat in flammas, & ut papyrus quæ ea fuerit aspersa, non prius cõburatur: quàm totus liquor exarserit, quod nec oleo, nec pici, nec alijs humoribus accidit.

papyrus ne etsi ardeat comburatur.

De sulphure.

SOnticus morbus suffumigio ex sulphure facto deprehenditur.

De lacte & carnibus.



TRes esse in lacte substantias casealem, serosam, & pinguem, oleaginosamue. primã in ouibus, secundã in asinis: & camelis, tertiam bubus abũdare, atque ideo ex ijs multum extrahi butyrum: asininum esui non esse, ex ouibus bonos multosque caseos concinnari, nullus est qui ambigat, ex ijs qui ruri uitam agunt. sicuti nullus medicorum dubitat, carnes omnium animalium iuniores: teneriores esse, & molliores: ueterum autem duras, & sicciores, uitulinam & hœdinã præstare, quàm eorundem animalium, ubi grandiora euaserunt, quod in omni grege natura sicciori obseruatur. arietinam contra & suillam, quia in eis multa humiditas superfluat, quo magis in ætate processerint esse potiores.

De lacte scrophæ.



LAc scrophæ adeo prauum esse tradũt auctores, ut si infans eum lactauerit, nõ prius sit moriturus: quàm elephantico morbo (quẽ lepram passim uocamus) corripiatur, sed & nõnulli expertũ fuisse ab antiquis scribũt, quòd si os suillum uiridi in panno à collo suspenderetur, liberaret à febri quæ reddit per quartum diem. addit quòd si quis sit, qui timeat morbum lateralem: hic si gustauerit porcinas carnes, cum oleo nucum, sanitatem experietur.

os suillum liberat a quartana sanat morbũ lateralem

De uenenis deprehendendis.



DEprehẽdi uenena uase facto ex auro, ubi quinta pars sit argenti, discurrereque mox arcus quosdã cælestibus similes. quin & eum quẽ aspis momorderit: si aut urinam suam bibat, aut acetum sorbeat, à malo præcipiti euasurum: quia ganeo qui utrem aceti humeris tulisset, non senserit morsum, donec onus deposuisset, auctores nimis uenerandi docuerunt.

Vas aureum ubi 5 pars argenti.
acetum ad aspidis morsum

De uitro.

VItrum calidum esse & siccũ multa possunt esse argumento, uel quòd in fornacibus, ignibus excoquatur. uel ex uitrea arena, quam ad Belũ amnem reperiri tradũt auctores, quæ omnia etiam metalla in uitrum conuertat. uel quòd dum inueniretur, ex nitro à negotiatoribus iuxta littoris arenas succenso, fluuios uitrei translucẽtisq; humoris profluxisse, fuerit conspectũ. Quare prudentius mea sententia facient, qui frigidioribus poculis uolent uti, si per æstum, uina infrigidata in uase niuibus, aut frigida perfuso, epotent: aut argento, ast hieme uitro bibant, aut auro.

argento hieme vitro

De

De uenere.


VT athlætis atque fossoribus alijsque qui ualida exercitia obeant, uenereorum abstinentia nihil noceat, sed in uires addat, ita esse quasdam naturas Galenus scribit, quibus semen collectum multum officiat, nisi excernatur. Illud uero exploratissimum esse, quod abstinentia à coitu, uentriculum ualidissimum efficiat idem narrat commentario primo in tertium Epidimiarum: ubi & Democriti qui congressum esse paruam epilepsiam, & Epicuri qui uenerem nunquam prodesse existimat, optandum uero si nõ magnopere lædat, cõmeminit.

De ficubus.

IN principio peripneumoniæ eum qui cepas cõcupierit, conseruatum iri: qui ficus, interiturum tradidit Mnesitheus Atheniensis, cuius Galenus sæpe meminit.

De ouis.

OVa sorbilia uocem claram efficere, etiam uulgo asseritur, sed id aliquis medicus docuit, nam oua si mollia assumantur: lenire asperitates faucium, unde tussis, & raucedo, qua anomalia leuigata, & inæqualitate: uox fiat melior, à medicis traditũ est.

Vt uinum ab infantia odio habeatur.


OVa noctuina è nidis subtracta, & ex uino infanti data ad bibendum efficere uini odium prodit Philostratus. Galenus uero scribit anguillas in meri patera submersas: ut nunquam amplius appetatur, sed cane peius & angui, in odium & inimicitias Bacchi liquor habeatur, committere. quæ nimis uereor: ne Græcam aliquantulum curiositatem, ne dixerim uanitatẽ sapere uideantur. Illud certius est: & apertum, quod multi auctores asserunt: quòd si quis uel rutæ folia, uel amygdalas amaras impari numero præmanserit, ederitue, antequam temetum, uel ad summum usque thoracem ingerat, nunquam sit temulentiam incusaturus. Galenus quoque scribit pulmonem ouis à ieiuno comesum, id facere ne per eam diem ebrietatem sentias, ne si uel integra dolia, & liberalioris meri capaciora pocula: pro libidine absorbeas, quæ uera sint nec ne (ubi de fide agetur) appellentur auctores, à quibus nos hæc accepimus. Atheneus certe tradit, medicũ quẽdam, cum in conuiuio præ cæteris unus plus uini exhauriret, nec inde aliquam perciperet noxam, cum cæteri impares se mero faterentur, & se superatos ægre ferrent, atque inuiderent, tandem fuisse deprehensum, amygdalas quinque ante præsumere solitum, quo ille unico remedio ad uini furores utebatur, quibus ab eo amotis, non amplius uinum sustinere potuisse, sed mox cum alijs præ uino uictum concidisse.

Vt uina in dolijs non ferueant.

SI uis facere, ut uina in dolijs non ferueant, pumicem leuigatum inspergito, & feruere

uere

uere desinet. Itē si cupiat calicibus epotādis quis esse satis, ut ter aut quater inter epulas biberit: farinam pumicis deuoret; & quantum uini uolet, exhauriet, propter uim siccificam qua pumex est praeditus.

Varia quaedam, & miranda ex Aristotele.


NVnc uero in Aristotelis mētionē incidere nō absre fuerit, & quaedā ex multis apponere, quae ipse curiose inuestigauit: ut ad posteros sui famam traduceret, propter quae tamen nugator, & pharmacopola, ab Atheneo meruerit appellari, ostrea igitur (ait) & quaecūque testacea in mari crusta integuntur: coitum nescire, purpuram & buccinam longioris uitae esse, ut quae senos uiuant annos, equum quidem masculum ad trigessimum quintum annum durare, foeminas uero uel ad quadragesimum, uisamq; ait equam, quae ad septuagesimum annum superuixerit. Idem coruos scribit, interdiu non cernere, sub noctem uero incipiēte uespertino crepusculo, cibos uenari: pisciū ad haec nullum esse tradit, aut uolucrem, quibus uel ubera, uel dydymos praebuerit natura, delphinum solum carere bilis uesica, eumque non habere spinam, sed ossa. leonis item ossa solidissima duritate constare, ut quae medulla uacent, & mutuo attritu percussa, ignis fulgorē reddant. Foeminas quoque in omni animantium genere pauciores dentes obtinere, quod & in oue, & in scropha, & porca siluestri compertum esse inquit. Tandem sanguinea omnia uel pedes binos habere, aut quaternos, aut nullos, quae uero plures habeāt, non habere sanguinē. Iā uero oīa quibus est sanguis datus quatuor notis moueri tradit, homo duobus pedibus, & manibus duabus mouetur, auis duobus pedibus & alis binis, sic & piscium aliquos, quibus tantum binae pennae sunt, ijs & duabus curuaturis cieri, atque alia id genus multa scriptis prodere non ueretur, quae stultis mirandi occasionem praebeant, quaeq; si ingenue uerum fateri fas est, ab eodē curiosius congesta, quàm studiosius tradita uideantur.

Daemonas constare ex elementis.


DAEmonas hoc argumēto probat Porphyrius omniū quatuor elemētorum colluuie constare: quoniam ex illorum semine uermes generatos esse sit compertum, & quia illis exustis cinis relinqueretur, quod arguit eos esse corporeos.

De quarūdam herbarum uirtutibus.

SCribit Galenus medicus de herbarum quarūdā facultatibus nōnulla quae hic adducere uolui, quoniā tāta est huius auctoritas, & tantā ueritatis diligētiā adhibuisse cernitur, ut nihil unq; is narrare possit, quod nō uerus narret, & nos nō ut uerum

libenter accipiamus. Pæonia (inquit) herba collo pro amuleto suspensa, mirificã ad pellẽdum comitialẽ morbum uim habet, habitum est de hac re singulare in puero experimentum, qui quum per octo mẽses huius radicẽ gestasset, per totũ id tẽpus à morbo correptus non est, qui iterum per uices redijt ea deposita, cuius cum secundo & tertio magna & recens radix admoueretur, toties morbus salutari præsidio concessit: quoad ex integro depulsus est. Idẽ auctor est: quòd halitus ex melãthio (quã nigellam dicunt) calefacto per rarũ lintheũ susceptus, catarrhos & defluxiones omnes medicatur. affirmat præterea quòd si ex lana aut ex ijs tomicibus quæ in marina purpura habentur: filamẽtum quo cum uipera fuerit straugulata, suspendatur iugulo, quòd ad tonsillas & gutturis orisq; uitia singulari quadam & incredibili potestate prodest. asserit itẽ quòd folia quercus uulneri emplastri uice apposita, probe conglutinãt plagã, quod & ipsum de dracontio herba serpentis modo maculis interstincta asseuerat, uerum de hac illud peculiare etiã adijcit, quòd si ex ea caseus musteus recensue inuoluatur, non cõcipiet putrorẽ propter immodicã siccitatem. Ex pulegio etiã cutem ulcerari refert, si ex eo particulæ diutius confricentur.

De quibusdam sanitati redditis, cerebro & corde uulneratis

GAlenus eum qui cerebri uentres fuerat uulneratus, sanitati restitutũ, Smyrnæ se conspexisse narrat, histrionis quoq; filium cui cor fuerat denudatũ, nullaq; tunica ambiente uestitum, à se curatum cõualuisse, nulla esse corda in quibus os nõ habeatur, quãuis medici Romæ in elephantino corde non potuerunt deprehendere, quod tamẽ uel ampla magnitudine esset, ut plebei admirarẽtur, si tantum cum esset: medicos potuisset latere.

Qui leuius ferant uim morbi.

MEdicorum quibus hæc curæ fuit inquirere, est experientia cõprobatum, eos leuius ferre uim morbi, qui per initia mensis decubuerint, neminemq; uel cõclamatum iã & deploratum ascẽdente Luna posse uitam cũ morte cõmutare, quoniam sideris uiuificus calor iuuet ægrum, atque eandem ob causam multo plures noctu quàm interdiu perire, quia tunc Sol uirtutes & facultates omnes conseruet.

De speculis cauis.

NOn nouũ speculis cauis ignẽ accendi, si ad Solis radios obuertantur, atq; eiusce rei causas apud perspectiuos uidere est. atq; hac arte Archimedes hostiũ carinas incẽdio affecisse fertur. Sed & si uitreũ quodcũq; uas aqua impleueris, eiusq; oscillũ ad Solẽ direxeris, ex aduerso uasis ignẽ succẽdes, si stipulã aut aridũ quodcũq; quod flammas suscipiat, admoueas.

De carnibus agninis.

Auer-


Verrous arabs inter philosophos praeclari nominis, inter medicos non contēnendus, post gallinaceas & hoedinas, carnes agnorum praetulit, & praecipue in terris calentibus, & ad austrum uergentibus, quoniam ibi earum superflua humiditas depascatur ab aeris calore, uitulinas autem quãuis ab hoedinis in eo superentur, quòd illae meliores generēt humores: praestare tamen, quòd non habeant eam uisciditatem, & ueluti mucorem quem hoedorũ carnes dum coquuntur habere constat. Idem auctor scribit optimum esse modum abstergendi margaritas si exhibeantur deuorandae pullis columbinis, atque mox iugulētur, ne plus detrahant, quàm oportet, quod quum calorem in uentriculis eorum contētum non modicum: sed ualētem redarguat, dubitaui in ea re, cum columbas nec bilem nec uesicam eius receptricem habere auctores tradant. ad haec arculis inclusas, ubi externũ aerē nõ possent trahere, uiuere uel per diē, & amplius eas posse adnimauerti, quòd si in illis tãtus calor ingeret, non potuissent tãto tēpore sine maiori respiratiõe perstare.

De multis in quibus attrahēdi facultas mirabilis esse demõstratur.


Vstici inquit Galenus, in Asia terra unde nos sumus, quãdo frumēta recēter ab area collecta, ad diuitũ dominorũ horrea carpētis deuehũt, solēt intra triticũ ollã aqua plenã clãculũ recõdere, quo attracto paulisper humore augeatur, & in maiorē molē proficiat, & grauius euadat. Hac itē fraude ij uti dicũtur, qui circa lanas uēdēdas uersãtur, atq; ut uellera plus praepõderēt, hydriã cãtharũue aquarũ ĩtra recõdere, quas illa facile imbibũt, ut pote arida, & sicca. Sed & hoc quã uerum sit nõ ausim affirmare, aiũt nãq; uillicos, quo mella in cadis multiplicēt, carniũ frusta portionesq; magnas in uasa, quibus mel cõtinetur, immittere, quae tēpore nõ adeo magno, in mel cõuertãtur, atq; liquefiãt. Illud profectò meretur admirationē, argēteas pateras, auro incrustatas, deauratasq;, trahere ad se diuturnitate aurũ, quod tamē periti artifices nobili aquae quam fortē uocãt, nec multũ ueteri inuēto, quae ex nitro aluminéq; cremato ignibus cõficitur, secernere nouerũt. huius nãq; ui & uehemētia argētũ, ut nõ probe in uitrea ampulla internoscas, in liquorē soluitur, qui tamē postea cogatur, & in naturã redeat, auri uero ramēta subsident. Hoc mirum magis est, cũ argētum nullam fungositatē, aut spatia uacua obtinere appareat, ad quae aurũ cõuellatur.

De destillatione aquae ardētis.


Hymystae certe omnes contendunt, unoq; ore pronunciant, quintam essentiam, & aquam ardentem (quam uocãt) posito ad Solē uase ad eam rem accommodato, & diligentissime obstructo, quod merum habeat, destillari ubi diu fuerit insolatum: diuinasque atque caelestes in tuēda sanitate possidere uirtutes affirmant. ad eã rem (si uera dicunt) feruētissimo So-

le ego opus esse crederem, qualis per dies uiget, quibus cælum sidere excandescit, quod tunc difficile incredibileue esse desinet, si credamus, oua apud Tagum & Lybicis in harenis torreri, ubi Sol inferbuit, uel in Balearicis Scytharum Nomadum fundis, ubi diutius agitauerint, manuque cõgirauerint, excussarũ sagittarũ plũbeã cuspidẽ citatũ ob motũ igniri, quod nonnulli auctores prodiderunt.

De oculis.



Vnt in oculis tres tunicæ. amphiblistroidès, id est reti similis quæ postremum locũ tenet, & à neruo optico, & cerebro deducto dilatatoq; ortũ habet. Est & rhagoidès acino uuæ similis, nempe exterius leuis exacte, at quà interiora respicit, fungosa, sicut granulũ uuæ, in huius medio est foramen (quod pupillam dicimus) & hæc à tenui cerebrum operiente meninge deducitur. Est & ceratoidês lucens, & transplendens ut cornu, quæ sua soliditate obstantia prohibet, quæ nocere potuissent. Est & mirandus pupillæ colos ad fuscum, & uiridem accedens, ut lassus legendo uisus recrearetur. nam & tales nos potissimum quærimus colores, & ante oculos apponimus, si quando scribendo litteras minutissimas, aut rem albã nimis, aut splẽdore exuperãtẽ intuẽtes laboramus. hæc ultima tunica à cerebri crassa membrana generationem sortita est. Sũt & tres humores iisce tunicis contenti, hyaloidès uitrum consistentia referens, à quo chrystalloidès humidũ alitur. hoc nãq; humor quidam est astricto gelu non dissimilis, in hoc fit uisio, deducto per neruos opticos spiritu ad uidendi functiones accõmodato, ubi ad ipsum rerũ sensilium simulacra peruenerunt, eius uero figura lenti aut disco propior est, unde à Græcis (quibus nihil non fuit curæ) phacoidès & discoidès dicta est. Deniq; inter humorẽ chrystallinũ & corneã humor est ouorũ albo similis Ooidès dictus, interfusus ad hoc, ut continenter aspergeret, & humectaret humidum chrystallo simile, ne illi aliquid exiccatione decederet.

De oleo ex auellana Indica.



Vosdam ex India profectos ad nos huc mihi conuenire licuit, qui affirmare nõ dubitarent, & pro mẽdacissimis si ita nõ esset haberi non recusarẽt, fœminas esse in Indica regione quæ quãuis senilẽ iam, & prouectã agant ætatẽ, puellares tamẽ nõ excessisse annos uideri possint, adeo conspicuo nitidoq;, & relucente corpore, ut nulla illis ruga faciem, uel reliquum corpus exaret, hoc illas fabrefacere aiunt, indentes se in dolium plenum oleo ex auellana Indica (quam cocum nobis appellare moris est) quod desiccandi uim habet, manere namque ibidem per spatium triginta dierum, ibique & capere cibos, & somnos capite reclinato accersere, quod quamq; fieri posse non dubitem, mortem tamẽ afferre celeriorẽ existimo, exhausto, & absũpto humido, quo mediãte uitã cõstat prolõgari.

De uestibus quæ arserunt.

Hippocrat


Hippocrates testatur libro de natura pueri, uestes compressas tantum concepisse calorem, ut ardescerent. columbinum quoque stercus ubi putruisset, sponte sua arsisse, ædibusque cõmunicasse incendium, ut magno discrimini appropinquarent, à se uisum Galenus tradit.

De camelis.

CAmelos & elephantos aquam non bibere, nisi prius perturbauerint, Aristoteles auctor est, ideo hoc facere scribunt: quia in pura & limpida aqua faciem suam intueantur, quam metuant.

De uictu, & cõtinentia, & ualitudine Galeni.


Scribit Galenus se ubi uigesimum octauũ peregisset annum, per totum uitæ spatium quod longissimum sortitus est, à fructibus omnibus autũnalibus, & æstiuis recentibus præter quàm à ficubus & uuis præmaturis abstinuisse, atque ob eam causam nullo morbo fuisse unquam correptum, præter quam diaria ex fatigatione & laborenimio, quam & potuisset effugere: si tuẽdæ ualetudinis integram rationem habere uoluisset, corpus uero adeo à prauis succis & plenitudine purum habuisse, ut percussus in aliquibus corporis partibus, ubi alij inflammationibus capi consueuerunt, aut ex alto delapsus, nullum tumorem membrum contraxerit. Verũ hæc & alia multum maiora de tãto auctore, per quem stamus, credere libet.

De morsis à cane rabido.


Quos canis rabidus momordit, non statim sentire malum, aut in rabiem, & in furorem agi, sed quosdam post sex menses, quosdam post annum, quosdam tardius, norunt omnes, qui libros medicorum legerunt. Illud exploratissimum est, & à nullo non traditum, tum demum hoc fieri malum incurabile, quando aquam sic affecti pauere ceperint, (quam passionem hydrophobiã Græci uocãt) aut si assidue in speculo faciẽ suã cõtẽplari uelint. Sed quam ob causam limphas tantopere fugiant: quæsitum non iniuria, à summis medicorum est. Ruphus Ephesius in causa siccitatẽ esse putat immodicam, in quã cum corporis tẽperatura fuerit cõmutata, similia appetat, quæ uero talia nõ sunt, odio habeat. Sunt qui dicunt, ideo hoc cõtingere, quoniã in aqua canem esse imaginentur, alij uero eos qui sic afficiuntur, intestina canis in aquis uidere affirmãt. sed tamẽ & specula, & quodcunq; leue corpus, quod repercussũ faciat, nõ minus ꝙ lacticeos liquores perborrescunt.

FINIS.

ANTONIVS LODOVICVS IOAN. NI DE BARROS. S.



Niunxisti mihi domine nuperis diebus, ut tibi quæ de pudore, impudentia, ueritate, mẽdatio, apud priscos scriptores exempla: uel apothegmata relata reperissem, breui tibi syntaxi complecterer. Suscepi id munus libentissime, tum quia nihil tu iubere potes, quod mihi licitum sit non recipere, tum uero quia de moribus aliquid omnino dicendum erat, in quam materiam perinde ac in amenissimum diuersorium, animo expatiari libebat. Cæteræ namque scientiæ nudam rerum præstant cognitionem, & in simplici entium contemplatione acquiescunt, animam uero nihil reddunt meliorem. unde Alexander cum optimus tibicen prædicaretur Ismenias, at malus uir est inquit. Sed uero moralis facultas qualiter uiuendum est docet, & qualiter nos gerere cum hominibus oporteat, si modo hominis cognomentum mereri debeamus, quem non adeo ab humo dictum, q̃ quod homû, hoc est simul in congregatione, & societate uiuat, & politicum urbanumque sit animal, (ut inquit Aristoteles) doctissimi uiri uoluerũt. Nec enim bene uiuere quenq̃, aut recte agere ad seipsum multum est, sed ad alium, cum nullus sibijpsi mentiatur, nullus uel pudorem, uel contrarium solus agitans ex seipso concipiat. Est itaque hæc pertractatio iuuenibus bonæ indolis, sed tamen labilis: & facili pede ad libidinem, & uitia fluitãtis, utillima. cum hic exẽplis grauissimorũ hominũ agetur, quæ hic frequẽtia afferemus, quæque maximam (aut ego nihil sentio) ad mouendos & incitandos animos uim habent, longeque maiorem, quàm pigra ulla ac segnia philosophorum præcepta, quæ ipsi per ocium, non qualiter unquam fiat: sed qualiter ipsi frigide ac algiose somniarint, in scholis, in angulis exhedrarum, ad duos aut ad summum tres omnium ignaros adolescentes cõmẽtantur. cũ hic (inquam) doceantur, & pudorem seruare, qui custos est optimus, & pedagogus præclarus iuuentutis, & non mentiri, nec fallere, nec seducere discant, quod ubi fecerint, nullum periculum est, quin & ipsi in optimos ac incorruptos uiros euadant, ac cum alijs absque dolo malo, sed simplices, & innoxij, ac boni uiri merito appellandi conuersentur. Et meo sane iudicio illi felici calle incesserunt, qui uitia & uirtutes aliorum in historia, tanquam in speculo contemplantes, & minori periculo cauere uitia, & efficacissimo exemplo, ad illorum res egregie gestas emulandas animari, & mox ad illorum exemplar normamque, quos admirantur, uitam dirigere potuerunt. Ergo deinceps quod nobis proposi-

tum

tum est:urgebimus negocium, non tam multitudine ac copia exemplorum, quàm celeritate, tibi nos placituros ire ſperantes. Prius itaque aliqua quæ philoſophi de pudore ſenſerunt, apponemus: deinde uero eius parentes ſi quos inuenire poterimus reddemus. ultimo exempla, ac gnomas non omnes, ſed quæ mihi præſtantiſſimæ uidebuntur, recenſere conabimur. atque hunc ordinem in cæteris ſeruabimus: quoad poſſimus, de ſingulisque ea dicemus, non quæ præſens lectio (nam id infinitum, & maximi eſſet laboris) ſed quæ libros Græcorum olim lectitanti, frequens lectio nobis ſuppeditauit, & pertinax memoria retinuit. De cæteris quæ nos præterfluxerũt bonus ueniã dabis. Porro omnia hæc quàm breuiſſime potero, ac tanquã per capita nitar explicare, ut non tam ignaros docere uidear, quàm ſcientibus memoriæ quoddam facere compendium. Sed & occupationibus tuis parcendum erat: in commune bonum. ut cum multa legere non poſſes, haberes tamen unde paucula citra faſtidium decerperes, & ſitim auidiſſimam quam erga litteras habes: extingueres. Nam quamuis tũ regum, tũ reipublicæ negocia tuis humeris incumbant, tot tamen & legiſti, & ſcripſiſti naturali quadam mentis adiutus acie, ut legentibus occaſionem inquirendi tribuas, quando homini tam occupato, & tantis curis diſtricto, iſthæc tam concinna, tam docta ſcribere uacauit. Sed iam hinc non abſurde exordium ſumemus.

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPPONENSIS, DE PVDORE LIBER VNVS.



HILOSOPHI VETERES MENTIS QVAtuor affectiones poſuerunt, quæ bonũ uel malum reſpiciunt, gaudiũ ſcilicet, & triſtitiam, in malo, & bono præſenti, ſpem, & timorẽ, de bono, uel malo, quod aliquis conſecuturum eſſe ſe, uel incurſurum credit. Vt ergo de pudore dicere incipiamus (ut Græcis, & Platoni imprimis placitum ſcio) pudor nihil aliud eſt, ꝙ timor iuſtæ reprehenſionis.

Thomas uero distinxit inter pudorem, & erubescentiam, nam hanc ait esse, cum quis facturus aliquam turpitudinem, quam nollet sciri, credit tamen q sciatur. pudorem autem tum contingere, quando quis quod fecit malum: existimat ab eo quem reueretur, cognitum uel deprehensum esse. Illud tamen non est dubium, q uterq; horum timet aliquam ignominiam, uel dedecus, uel irrisionẽ, quæ in futuro ob malum patratum sibi superueniat. Certum item est q non erubesceret, uel pudore afficeretur aliquis, nisi malum à se commissum alteri compertum esse cognosceret. Hinc pueri & cæci sunt impudẽtiores (ut Aristoteles auctor est) alteri ab ætatẽ nõ possunt percipere, quid turpe, quid inhonestum sit, alteri uero ob organi læsionem non cernunt suam turpitudinem ab alijs uideri. Vt enim Plinius libro undecimo inquit: in oculis animus inhabitat, & apud grauissimos scriptores dicuntur impudentes pudorem ex oculis proiecisse, uel abrasisse. Porro ut medicorum princeps Galenus auctor est, multum interest inter processum, & principium pudoris. inter principia enim sicut in metu, calor & sanguis cum spiritibus interiora petunt, & in ima corporis se recipiunt, at uero ultimo genæ rubore complentur. (nãq; in ijs tanquam in sedibus pudor, ruborq; ostenduntur) & facies tota induit pudorem, atque rubet. Sed quam ob causam rubeant quos pudet, nõ iniuria dubitatum à summis philosophis est. alij id putant fieri, natura sanguinem tanq; uelum quoddam prætendente, sicut nos manus solemus ante faciem pudore suffusi anteponere, ne circumspiciamur. alij uero dixerũt, sanguinem in occursum melioris tanq; reuerẽtiam illaturum foras exire, neq; enim (aiunt) semper uel soli illi erubescunt, qui alicuius turpitudinis sibi sunt conscij, sed & illi quoque qui coram aliquo, honore, uel ob dignitatem, uel ob ætatem dignissimo homine sunt constituti. sic & portas ciuitatis ingressuro regi, festinant ad excipiendum ante fores: primates debitum honorem cogniturі. Sic qui gaudent, rubẽt: exeunte calore, & diffundente se anima in occursum eius, quod uoluptificum iudicant. Medici uero & qui rationi propiora sunt locuti asserunt id esse naturale, & peculiare naturæ opus, q ubicunq; & in quãcũq; corporis partem, quæ aliquo pacto afficiatur, protinus in auxilium illuc q̃uis sæpe noceat, sanguinem, & innatum calorem emittat. Sic ubi ilia timore quatiuntur, mox ora pallore occupantur, & aluus aliquibus subijt: calore in præsidium cordis intus recepto, & soluente concretos aliquos hũores. Ita si manus, si pes doleat, cõfestim illuc natura suis auxiliaribus copijs accurrit. Sic qui pedem, uel digitum minimum lapidi offenderunt, quandoq; hãc ob causam inguinum tumores (quos bubonas dicũt) patiuntur. Ad eum modũ euenire in pudore, fuso per cutem faciei quæ est tenuissima, sanguine: non est dubitandũ. Iratis quidem præcipue oculi, pudibundis autem aurium extremæ particulæ dependentes,

dentes, & sanguine cassæ rubescũt. In illis calor ad deffensionem paratus, oculos arcem corporis occupat, tanquam inde prouisurus, & melius cum hoste profligaturus, at in ijs quos pudet, cum imparem se uideat, quominus poßit crimen diluere, uel reprehẽsionem uitare, subterfugit in partes posteriores, & cypselidas, hoc est aurium pinnulas exangues rubore inficit. Hinc non malum, nec contemnendum signum eius qui furtum commiserit, ruborem aurium Aristo. iudicauit, perstante nec quicquam permutato, in ijs qui culpæ sunt immunes: genuino calore. Abscondunt autem faciem, & conniuent, occludunt que oculos, qui pudore tenentur, quoniam (ut dixi) nolunt se ab alijs uideri. Hinc & perfricant uultum, quia cauent nequis in eis subnotet pudorem: quare & impudentes, os uel faciem perfricare dicuntur. Non obscurum quoque est inter tot animãtium genera, nullum præter hominem pudescere, qui & mortuus quoque pudorem seruare, & prospicere dignoscitur. Cõstat (inquit Plinius) uirorũ cadauera supina fluitare, prona fœminarũ, tanquam pudori defunctorum parcente natura, honestius enim muliebria occultantur quam nates. Pygmeos autem spithamæos illos gruum depopulatores non eße homines doctißimi uiri uoluerunt, quoniam non uerecundentur de turpi, nec glorientur de honesto, quod homini maxime propriũ crediderũt. Aristoteles cum mores animalium uarios numeraret: anserem peculiariter cautum, & uerecundum uocauit. sed cum nullum argumentum afferat, quo hoc comprobetur, eadem facilitate qua aßeritur, uideo poße negari. An quoniam à coitu se aquis ingurgitant: sed quis in hoc sensus, uel probatio pudoris? Ego sane uel pauonem potius uerecundum (si aliquod animal hac in parte appellare oporteat) dixerim: qui cũ caudæ pulchritudine glorietur, & gemmãtes aduerso Soli colores expãdat, & umbræ repercußum reliquis faciat, qui in opaco clarius micant, & eos maxime in aceruum cõtrahat, atque ostentet oculos, quos laudari cernit: idem cauda amissa, annua uicißitudine pudibundus atque mœrens quærit latebram, nec exire sustinet, donec renascatur: sed folijs arborum opertus delitescit. Elephantum quoque recenserem, quos ob pudorem nunquam nisi in abdito coire: nec ulla noße adulteria, sed inedia aliquando mortẽ ignominiæ prætuliße, uictosque uocem fugere uictoris grauißimi auctores tradiderũt. Vel camelos item pudibundos potius dicere quis poßet, qui matres nunquam superueniũt suas (ut Aristoteles refert) sed inter eos quis camelarium morsu interemerit: quod eum matri opertæ admisißet. Vel equum quis in hunc numerum referat, qui ubi faciem matris detectam agnouit, cum qua imprudens obuelata coierat, fugã properarit, & se præcipitem actum interemerit. Serpẽtem quoque tradit Oppianus, ubi uirus quod semper in ore gerit, amiserit, quod cũ murena concubiturus alicubi occultarat, atque reliquerat, ut mitis ad connubia accederet,

mox

uitæ cōditione tantum ualet, quantum ex mutuo se amantibus, quædam consors facta cōiugatio. Dißidēt sæpe & irati sunt cū parētibus filij: nō cōuenit semper inter uicinos, si negocium aliquod festinatione egens incumbat, prius (ut inquit Hesiodus) cinxisse se uolēt affines. si dira urgeat neceßitas: si periculum sit capitis adeūdum, fuga sibi cōsulent amici. At qui efficaciter amat (quem ab amico distinguens appello) quamuis dolor uisceribus accesserit, firmiter persistit: ne ante se, cuius ignibus uritur, uideat periturum. Non satis: immo parum est, amicum esse. Si exilium, si egestatem, si proscriptionem, si tormenta per singulos artus excogitata, si gladiū impendentem iugulo, si uitam deniq; morte finiendam, ante oculos statuas: amicitia cedit, amor perseuerat: qui quoniam uehementißimus est (nam aliter nō esset amor) pericula quæ subeunda sunt, oīa putat iocunda. Quid enim pericles? facere me (inquit) pro amico oportet: sed usque ad aras. Quid Cleopatra quæ egrum Antonij animum suis amoribus liquefecerat? cum multa & prope infinita sint mihi mala (inquit) nullum ita graue ac durum mihi est, q̄ breue hoc tempus, in quo sine te misera uixi. Quid Thysbes exitum repetam, supra proprium amantem peremptæ? quid Alcibiadem amicæ pallio uulneribus confossum coopertum? quid Alcestem (cuius meminit Plato) quæ sola pro uiro uoluit occūbere, cū tamen ei pater & mater eßent, hoc uno exemplo abunde testata, quantum ob amorem quem erga maritū haberet, parentes alienos putaret: & solo tantum nomine ad filiam attinentes: uirum uero tam impense fuerit prosecuta, ut & homines eam æternis præconijs tollerent, & dij sibi præmijs immortalibus donandam censuerint. Et sane nullæ sufficerent chartæ si cōmemorare hic aut recensere accuratius uellem: eos qui amore uicti, admiranda toti orbi facinora fecerunt. Nam quis nescit quæ Christi fideles, lassatas tortorum manus superantes, pro fidei deffensione subire non sunt ueriti: incensi atque flagrantes charitate diuina, & fortitudine mortem contemnendi, ne legem dei uiolarent? Quid item coegit primū illum apud Chaldæos unius dei cognitorem Abrahamum, unius nati parentem, ut quem solum habebat in senectute genitum, multis annorumque plurimorum precibus expetitum: libenter in holocaustum duceret, ignibusq; superimponeret, iā iā mactaturus: ut suo cruore perinde atq; oleo, sacros illos ignes foueret? nisi ingēs cupiditas, & obnixus amor in deum, cui quia sic seruum suū probare quem elegerat, qui primus nomē dei elion inuocaret, placitum esse certo sciebat, nō dubitauit seruus fidelis: suum pignus immolare, quo dei amorem paternis affectibus præponeret. Neque enim est quisq; tam malus, (ut diuinus inquit Plato) quē nō ipse amor limphaticum (ut ita dixerim) & diuino furore percitum ad uirtutem faciat. Et quod Homerus dicebat, deum aliquibus robur inspirare, & uires, hoc in-

dubitato

dubitato amor amantibus præstat. Hinc altius Plato prouectus: nõ dubitauit dicere, quòd si qua ratione fieri posset: ut ciuitas aliqua ex amantibus & amatis, aut exercitus conderetur, ea esset urbs immortalis, & tam pace quàm bello florentissima, & illa eßet inuictißima, & insuperabilis acies. Verum quoniam nos nunquàm melius, quàm ipse poterimus, quid senserit explicare, ideo præstiterit forsam, totam eius dictionem, quam ex symposio traduxi, hic apponere: quàuis ne per somnium quidem accedere propius ad eloquẽtiã eius & dicẽdi sublimitatem possimus. Aßero (inquit) uirũ si quis amat, hunc in turpitudine deprehensum, quia aut commiserit rem turpem, aut iniuriam paßus nõ propulsauerit, & fuerit ultus ob pauiditatem, nõ adeo patre uiso, aut amicis, aut alio deniq; quocunque erubescere, & graui dolore tangi, quàm si suas delitias conspexerit. hoc & idipsum amatum pati uidemus. nam insigniter suos amatores reuerentur, & coram ipsis constituti pudescunt, si quãdo in turpi re aliqua fuerint. Si quidem igitur aliqua industria & machinatione fiat, ut ciuitas aliqua constitueretur, aut exercitus ex amatoribus, & iuuenibus amatis, non est ut melius suam ipsorum patriam habitare poßint, nec aliter commodius suis rebus consuluerint. nam & ab omnibus turpitudinibus abstinerent, & mutua contentione alteri alteros tueri, & amore superare contenderent. Et hij si quidem iuncti & coalterni pugnauerint, uicerint illi quidem quãuis pauci (ut ita dixerim) omnes homines, si cõtra ex aduerso sistantur. Vir quippe amator, aut ordines deseruisse, aut arma turpiter abiecisse, magis à cũctis hominibus conspici, quàm ab amatis præeliget. nec quisquàm erit, qui aut relinquere pusionem amatum, aut nõ festino auxilio periclitanti succurrere sustineat. hæc Plato cum multis alijs quæ diuino ore, atque pectore per totum dialogum philosophatur. Sed & Pelopidas sacram quãdam cohortem duxisse dicitur, ex hoc hominum genere constantem, cum qua fortissima belli edidit exempla, ut dux magni nominis putaretur. Porro (ut Plutarchus auctor iuratißimus est) Lacedæmoniorũ legislatores, gẽtis suæ animos ut nimium færinos, & animosos, & incõtinentes, uolentes à pueris mox diluere, atque remittere, & ueluti humectare, cum tibias tam serijs quàm ludicris in rebus induxerunt: illis maximos defferẽtes honores, & prælationes, qui elegantius cæteris canere: & ad lyram modos facere didicißent, tum uero multum & splendidum amorem in certaminibus immiscentes, innutriuerunt, cõtemperãtes iuuenum mores. Nec hæc dumtaxat contenti fecisse, deam ex Marte & Venere quam fingunt poetæ congredientibus genitam, in urbis patronam adaptarunt, quoniam ubi pugnarum bellorumq; studia cõueniunt simul cũ suadela & gratijs coniuncta, ibi diligentißima & ornatissima politia conficitur, ubi omnia secundum armoniam procedant, atque ex eo tempore sacra quædam cohors ex uiris quadringentis

dringentis electis fuit constituta, quorum alteri amatores erant, alteri amati, quae usque ad pugnam, quam post longa annorum curricula in Chaeronea infeliciter & improspere gessit, inuicta perstitisse dicitur, quos ubi adinuicem permixtos, & nullum tergo uulnus habentes, sed omnes sarissis obuios, in angustis armis procedentes, contra innumera hostium millia, transfixos uidisset, illachrymasse, & dixisse fertur. O male pereant illi, qui hos quid aut pati, aut facere turpe putant. Namque illi nō solum corporum, sed & animorum erant amatores. nec enim ego eum dixerim amare, qui solum ut corporis pudorem atq; florem puellae quam amat, aut pusionis decerpat, amare se simulat. Et sane quemadmodum equi citius cum curribus, quam secundum seipsos impulsi currunt, & stadium peragunt, non quia sic magis aerē diuidāt multitudine & curruū accessione cōfractū, sed quoniā eorū animos incendit mutua adinuicem cōtentio, & uincendi cupido, quae miros quosdam aculeos & stimulos illis ingenerat, ut semper praecedentibus instent. sic & boni uiri cum pulchrarum rerum sibi uicissim zelum obtinēt, utillissimi in cōmune opus: & ad omne facinus praeclarum conficiendum promptissimi sunt, si in unum ueniant. Quapropter & statuarij qui nudos saepe reges, atq; deos honoris gratia cōfingūt, amorem quoque nudum efformant, haud male: ut qui indicare uelint adapertum illud uirtutis atque mentis amātiū, extra omne clancularium uitiū, extra omnem fucum atq; tectorium existere. Sed quoniam iam de pudore disseruimus, aliqua quoad breuibus fieri possit, exempla & ueterum de eo sententias referamus, qui adeo pudorem suspexerunt, ut ad hunc modum Euripides diceret. O ueneranda uerecundia, utinam omnibus hominibus assistens impudentiā ex animis extulisses. & rursus uolo (inquit) paucula quaedam dicere, nō multū genas, atque supercilia impudēter attollens, sed sobria loquar, ut fratrem decet. uir namq; bonus, bonum reuereri solet: & mox. pudor in oculis suboritur ô gnate. & Agathon dicebat. Cum iniurium me esse puto, faciem animorum pudescens uidere non sustineo. sed & Theognis ita infit. Nullū thaesaurum pudore meliorē intus in penu repones, quem optimis uiris Cyrne exhibueris. Stasimus autem poeta ita extulit.

Nam qua parte pauor, quoque est pudor additus illi.

Contra quem sic Plato (ut Euthyphron auctor est) scripsit. Multi (inquit) uidētur morbos, egestates, & alia id genus timere, sed nequicq; haec ipsa reuereri: quae timent. An non tibi ita uidetur? mihi quidem sane. quare ita potius inuertendum est.

Nam qua parte pudor, quoque est pauor additus illi.

Neque enim quisq; est, qui si de aliqua re pudescat, atq; reuereatur: qui non simul timeat, atque metuat improbitatis opinionem. Omnis igitur quem pudet, metuit: nō tamen

men

men ubi timor, ibi & omnino pudor est. in plus enim se extẽdit à pudore timor, particula namq; pudor timoris est, sicut numeri impar. ita scilicet ut ubi sit numerus, nõ protinus imparẽ esse oporteat, ubi tamẽ impar, numerum esse sit necesse. Demosthenes uero ita dixit, malum quod uis solus sis: ne dicas, nedum facias, disce uero ex omnibus, teipsũ multo magis reuereri, quod & Pythagoras inter aurea illa uerba, quæ protulit, multo ante significauit dicens. Rẽ turpem, neque cum alio, neque iuxta te positus facias, præ omnibus tui teipsum maxime pudeat. & item. Cupias potius, ut qui tecum conuersantur, te reuereantur, quam timeant: pudori namq; adest ueneratio, timorem autem odiũ comitatur. Theophrastus uero ita ait. Si te ipsum fueris reueritus, nunquam alium erubesces. Sopatrus autem ad hũc modum. Caue & pudeat te, ad corruptas hominum opiniones respicias, at uerum sermonem cunctis in rebus propone, neque apparentem utilitatem cum damno subditorum eligas, neq; fugias ignominiam quæ uideatur cedere in commoda eorum qui tibi subaudiunt atq; parent imperio, si quidem non quãcũq; existimationem, sed optimã uitam possidere, inter homines uelimus. Pythias (quæ Aristotelis filia traditur) rogata quisnam colos optimus? qui (inquit) præ pudore ingenuis & liberis hoĩbus in uultu efflorescit. Sed & Cato iuuenum illis se magis delectari dicebat, qui rubescerent: quam qui pallescerent. Diogenes autem cum iuuenem rubescentem uidisset, macte (inquit) uirtute esto, & cõfide O fili. talis namq; est ipsius uirtutis color. Hesiodus autẽ Homerum in hoc secutus, pudorem magno uel commodo, uel damno hominibus esse uult, dum in primo operum inquit. Pudorem non est bonũ adesse uiro indigenti. Pudor multum homines aut iuuat, aut lædit. Pudor quippe infelicitatem, cõfidentia autem opes afferre solet. Sed hæc poetæ dixisse concedemus, qui non adeo diligenter rerum appellationes curat: nos autem dicemus Aristotelem in libro de moribus secuti, quod uerecundus omnis est laudabilis: est enim in ijs quoq; affectibus superabundantia, & deffectus. & quod exuperat quidem qui in uniuersis uerecundatur, qualis est ipse pauidus, qui uero deficit, aut nulla in re uerecundatur, appellatur impudens: medius autem est ipse uerecundus. Melius Homerus qui fortissimos uiros ob pudorem res aggredi pulcherrimas facit, quid enim ait inter Græcos Diomedes?

Inter enim dicet Troianos optimus Hector,
Titydes fugiens puppes confugit ad altas.

Scilicet quia pudorem detrectabat, pugnam capessit. & alibi inquit. Ex uiris pudescentibus, plures salui sunt, quam turpi morte perempti. & cum lacesserentur Græcorum quiq; ad singularem pugnam fortissimi. Timor (inquit) suscipere pro se quẽque uetabat, sed pudor negare recusabat. At uero impudentes, quiq; nullam boni & honesti

nesti rationem habeant, sed ter (ut dicitur) faciem absterserunt, nullo magis epitheto infamat, quam quod cynopidas uocat, hoc est caninos oculos habentes, quo uitio Achilles inurit Agamenonē. Quintilianus item inter uitia oratoris perfrictionem faciei, quod impudētiā signat, imprimis notat, Vitiosa (inquit) sunt illa, intueri lacunaria, & perfricare faciē, quasi improbā facere. Plutharchus auctor est Ciceronē orationem habiturum, solitum ante leua barbam demulcere, quod & facientem interfectum esse idem prodidit. Quia uero iam satis quid de pudore ueteres prodiderunt, retulimus: nunc ad exempla transeamus, ut compertum omnibus sit, ut optimus quisque fuerit, ita hoc laudatissimo hunc non caruisse affectu. Cesar quoniā in senatu nō assurrexisset tribunis, & consulibus, sed sedens tanquam ad idiotas, & infimos homines responsa daret, grauiter ita est affectus pudore, domū reuersus, ut reducta à collo tunica, se paratissimum diceret, iugulum exhibere, cuicūque qui eum occidere uellet. Cum Medi prosequente Cyro, urbem fuga repeterent, insequerenturque hostes, iam mox uictores futuri, nec quisque dubitaret, quin eo impetu ciuitas atque insultu foret capiēda, Persicæ mulieres ex urbe suis fugientibus inconsulta temeritate obuiam procedentes, atque uteris apertis, & muliebribus genitalibus patefactis clamantes, quo ruitis ô ignauissimi, an uos latet minime uobis huc in aluos unde prodijstis, regredi licere: uictoriam insperatam tribuerunt. nam tam graui mox pudore subito milites conuersi, fusos & inconsiderate soluto agmine procurrentes inimicos non multo cum labore fugarunt. Lacon quidam nimium honoris, & gentis suæ nominis studiosus: cum uenderetur sub hasta à præcone, putaretque hinc ignominiam & dedecus aliquod suis ciuibus accrescere, clamaretque præco, Laconē uendo, captiuum dicito (inquit) uendo, non Laconem. Pudebat non uictum ductum esse in captiuitatem: sed cū Lacon natus esset, in hostium manus uenisse. Nā tanta erat mulierū Lacænarū fortitudo animi: ut ituris in bellum filijs, scutū traderent: dicētes aut hoc, aut super hoc, Laconica breuitate significantes, ut aut scutum matri referrent, aut super eum mortui reducerentur. Hinc fugientem cum quædam filium uideret, sic eum allocuta fuisse fertur, uade in tenebras malum uirgultum: cuius ob odium Eurotas Spartæ fluuius ne ad timidas quidē damas fluere dignabitur, inutilis catulus, mala portio, uade sub orcum, uade nec Sparta dignus, nec parentibus. alia cum Demetriū natū à bello magno tremore redeūtē, omni armaturæ ornatu deperdito obseruasset, dentibus acutis frendēns, & per ilia ense impulso, filium ulta, masculum testimonium suæ uirtutis reliquit, talibus editis uocibus, quæ uiros magis decerent, morere (inquit) nec habeat hanc inustam notam Lacædemon, quid enim illa errauit, si timidos meum lac enutriuit? Lacæna item ancilla rogata, an ad uirum accessisset, cum quo nupta

erat,

erat, nõ ego pudore suffusa ad illum accessi, sed ipse ad me. Sed ante omnia admirabile est pudoris uirginum Milesiarum exemplum, ad ostendendum: quãtam hic uim habeat ad probitatem. Milesias uirgines pernitiosa & subita irrepsit uoluntas obeundæ mortis. nec erat numerus earum quæ se suspendissent, & ad incerti euentus interitũ cucurrissent, sed efferebantur indies, certatim omnibus inopina causa ad mortem cõtendentibus, ut internitio earum, & omnimoda calamitas speraretur, cũ nulla tãto malo medicina adhiberi posset, nec pacto ullo, aut suasionibus deterrerentur (quid enim non cõtemnerẽt: quæ nihili mortem faciebant?) inuentus est quidã, qui lata sententia decreuit, ut omnes quotcunq; se peremissent, nudis corporibus, cum eo fune quo se suspendissent, per uicos ad humãdũ efferrentur. Nulla fuit, quæ posthac uoluntariam mortem subiret, pudore tam inhonesti funeris, & quas non casus acerbus: nõ mors durissima (quã terribilium ultimum, & in qua despitienda fortitudinẽ uersari uoluit Aristoteles) nõ parentũ luctus, nõ uitæ cupido atque lucis, non denique ulla ratio, ne sibi uiolentas mortes consciscerent, peruincere potuit, unius pudoris phantasia & opinio, quam uita functæ essent habituræ: eas à tam nephario scelere inhibuit. Non est contemnenda quoque uerecunda responsio Olympiadis ad Alexãdrum filium qui cũ sic scripsisset. Alexãder Iouis Ammonis filius Olympiadi matri salutẽ, ad hũc modũ rescripsit. quiesce (inquit) O nate, neq; defferas, neq; crimineris me aduersus Iunonem. nam tu me illi tua epistola pellicẽ esse cõfiteris. Verecũda ista, & comis matris ad filiũ rescriptio, superbũ animũ uictorijs & adulationibus elatũ admonuisse uisa est, ut opinionẽ falsã deponeret, qua natũ ob secũdũ fortunæ applausum se de Ioue crediderat. Aristotelis quoq; laudatur in deligendo successore uerecundia. nã cũ sexagesimo secũdo ætatis peracto anno, deligere uellet successorẽ ludi, ad quẽ post eius obitũ discipuli cõcederent, præstarentq; inter cæteros Menedemus Rhodius, & Lesbius Theophrastus, ne si alterũ præponeret, alteri fuisse iniurior uideretur, iussit ut uinũ sibi Lesbiũ & Rhodiũ curarẽt, usurũ uero se eo, quod magis placeret, quod ubi allatũ ipsi fuisset, ubi utrũq; gustasset, præsẽtibus qui successorẽ magisterij petierãt, iucũdũ inquit & firmũ est Rhodiũ, sed Lesbiũ tamẽ suauius: quod ubi dixisset, nemini fuit dubium, quin successorẽ ea uoce nõ uinũ lepide simul & uerecunde sibi delegisset. Quin & Alcibiades Atheniensis singulari pudore præditus memoratur, nã cũ traditas sibi tibias ab Antigenida tibicine, qui eum Periclis suasu docendũ susceperat, ad os adhibuisset, inflauissetque, pudefactus oris deformitate, & rictu distento, mox abiecit, infregitq;, à quo tempore cũ antea summæ laudi daretur, disciplina tibijs canẽdi desita est. Poetæ etiam multi in suis carminibus pudorẽ fecisse uidẽtur, cũ cõcubitus lege naturæ operiendos significarent, ut Homerus cum dicit.

Virginenm soluit cestum, legemque cubilis. Et rursus.
Munusque cepit amoris, Et item.
In sculptis illi thoris cepere soporem,

Et Virgilius cum de Vulcani cum Venere congressu ita scribit.

Optatos dedit amplexus, placidumq; petiuit,
Coniugis infusus gremio per membra soporem.

Nihil aliud celebres ac doctissimi agunt poetæ, q̃ ut iure cõiugij mistos, uerecunda quadã trãslatione uerborum significent, atq; demõstrẽt, quod & Hebræorum lingua item cognoscere, ut rem sordidã quãtum possit, obtegat, uerecunde appellare solet. Quãobrem sacra lingua uocitata est, quia scilicet castißimis atque pudicis, nec ullatenus aures offendẽtibus rerum nomẽclaturis utitur, quale est. Cognouit Adamus Euã uxorẽ suã. & nisi in faciem benedixerit tibi Iob primo capite: pro eo quod est maledixerit. & in Exodo, abominationes uestras immolabimus in oculis uestris: & lapidibus non obruetis nos, cauet enim ne quo pacto nomen dei tetragrammaton, non solum aßertiue, sed neq; cõmemoratiue uerbo aliquo indigno significent. Et rursus deos quos Aegyptij colunt, abominationes uocat, ne idola gentium, uel dicto dij uocentur. Est etiam alia causa sanctitatis huiusce linguæ quia non habet uocabula aliqua propria, quibus membra uel naturales actus appellant, quod uitium aliarum linguarum omnium proprium est, & peculiare, ut plura fere nomina pudendis & genitalibus membris indiderint, quàm alijs rebus, ueriti forsam, ne appellationum penuria has partes minus notas haberemus. Latini infandis fœdisque uocabulis hæc significant: omnia impudicitiæ genera tam masculæ Veneris quàm aliarũ turpissimis nomenclaturis comprehendentes, ut (& si uelimus) Sodomorum, & asotorum dum mastubrationes, pedicationes, & alia id genus nephanda uocabula (quorũ ne significationes quidẽ tenemus) audimus: obliuisci nequeamus. Græci quoque non multo honestiores appellationes indiderunt: quas nullus paulo humanior audire sustineat. Vrinæ & aliarum superfluitatum uocabula non pauca apud Latinos sed plurima apud Græcos quæ pudet referre. Hebræi in hoc pudentißimi nullum membri genitalis sibi proprium nomen habent, sed uocant guid hoc est neruum. fimum alui sóa dicunt, à uerbo quod exire significat. uuluam rechem hoc est matricem suæ gentis uocabulo nuncupant. Genesis quoq; capite septimo (quẽ Bræsit dicũt) octo litteras integras scriptura adiecit, ne uocabulo minus sacro uteretur, ne enim diceret ex animalibus impuris, uel inquinatis, capies tibi septem: circũlocutione usa est dicẽs ex aĩalibus quæ non sunt pura. & quæ sequũtur. Sed non sufficere poßim, si gentis huius munditias, & puritatem lecti, atq; cubilis,

lis:& mensæ non ad lauticias,sed ad ciborum delectum,& frugalitatem compositæ temperantiam uellẽ pluribus nescientes docere. Illud unum addam, quod si ita malorum operum,quæ necesse est facere eos,qui bonitatis originem, & fontem deum non credunt,quorum qui pijssimus est,is longe impijssimus sit oportet, essent immunes, & Christum deũ,& saluatorem colerent:quem sui maiores auaritia,& scælerum labe maculati,cruci dederunt, ineffabili gloria exaltandum. Si inquam Iesum in cuius nomine dæmonia fugantur, fide integra uenerarentur: quemadmodũ sibi cauent, ne impuras epulas contingant,& si à mendacijs, periurijs, usuris, & proximi deceptione æque ut à porco abstineant(quod nosse solius dei qui corda scrutatur: est opus)haud dubitem quin recta ante alios mortales in cælum deuolarent. Nõ prætereũda etiam est Essenorum apud Hebræos insignis pudor inter cæteras uirtutes (quod nomen uel sanctos:uel cõtemplatiuos significare putant) qui sabbatis quidem uentrem non purgare dicuntur,cæteris autem profestisque diebus dolabra foueam in locis semotissimis,nec soli peruijs facientes,uesteque dimissa,diligentissime se obtegentes,ne lumini diuino iniuriam faciant,alui onera deponunt, & mox terram quã effoderant,reducunt,& tanquam ab immũditia quamuis sit naturalis, solemne habent, ut diluantur. Sed antequam hinc digrediar,illud quoque annotasse non pigebit, uiros naturali quadã sponte pudẽtiores esse:& honestiores,quam fœminas, quorum uultum ut decẽtissimum faceret natura,simul & ornatissimum,barbam addidit, at uero fœminas tanquam minus seueras,atque pudibũdas,priuauit barbitio. Quales enim cuiuscũque generis animaliũ sunt mores,talem illi natura corporis speciem exhibet: ceruũ, leporem, dasypodẽ, quoniã timida & meticulosa sunt animalia, armis tãquã onere superfluo priuauit:sed celeritatẽ dedit,qua se celeri cursu surriperent,strẽnua autẽ, & pugnatia,ut apros,ut tauros, ut lupos,unguibus,dentibus,& cornibus armauit: hoĩem quoniam uersatilẽ mẽtẽ habet,manibus omniũ organorũ uicem suppleturis donauit. Fœminas itaque quoniã morem minus habent honestum: mẽti grauitate natura priuauit. Hinc barbã promissam philosophis alere fuit translaticiũ. est enim plena cuiusdam maiestatis uiri facies, postquã pubuisse cepit,& tãtã uenerationẽ secũ affert bene profundum mentum,ut nihil mirũ sit piratas fama Scipionis adductos: Linternũque profectos,mox ubi eũ uidissẽt,abijsse cõspecta magna quadã uultus maiestate. Nec uero silẽtio ĩuoluã mẽbra generationi destinata,ĩ oĩbus linguis quas mihi didicisse cõtigit,à pudore fuisse appellata:ut scilicet intelligeremus earũ partiũ pudorẽ ante oĩa seruãdũ,nec ea mẽbra impudice aperiẽda uel reuelãda esse,de quibus pudendorũ indito noĩe cũcti nos pudescere uoluerũt, quoniã(ut puto) hoc uitio homines ad belluinam maxime libidinem propius accedant. Quis enim non uidet quæ libidine incita,

non solum equæ (quarum est furor nobilitatus) sed & cuncta animalia perpetrare soleāt: & quāto impetu libidinis hausta imaginatiōe turgētia in Venerē ferātur? Pudēda itaq; dicūt Latini, Græci aidoîa uocāt, quia scilicet aidòs pudorē significet: eadē ratione Hebræi mebusè appellāt, quoniā hoc uerbū bus pudescere, & cōfūdi, & erubescere apud eos designat. Quærit autē Aristoteles quare est q̄ hoīes rē Venereā agere cupiētes, cōfiteri se cupere maxime pudeat: at edēdi, & bibēdi, aut aliquo eiusmodi desiderio cū tenētur, quæ cupiāt fateri nil pudeat. Respondetque id esse in causa, quoniā aliarū rerū sit usus necessarius ad tuēdā uitā, uel saltē honestus, & quē plurimi oēs cōcupiscāt ut honores: & id genus alia, at rei Venereæ libidinē supfluere, & animi putris atq; saturi indicē esse, frigere nāq; Venerē (ut inquit comicus) sine Cerere & Baccho. Neq; enim coitus iuuenum prostitutor, & uirium unicus & ualentissimus deperditor (quem ad Alexandrum scribens Aristoteles ludum porcorum appellauit) pro tuendo indiuiduo, sed pro producenda spetie necessarius est. cum multos immo innumeros legamus, qui sanctissimi atq; casti deo seruierint absq; ullo muliebri commertio, & præcipue apud Christianos: apud quos sacerdotibus connubia sanctione patrum interdicta sunt. Alexander duobus ijs mortalem naturam suam sentire & cognoscere se aiebat: Venere, atque somno, quoniam & labor, & uoluptas ab eadem naturæ imbecillitate proueniāt. Sed & quæsitū à sacris theologis est, an quando corpora etiam in die iudicij uniuersalis (quādo omnis caro ante æternū illū iudicē rationē reddditura actorū cōstituetur) resurrectura esse fide teneamus, beati de corporū nuditate pudescēt, nec enim eos dicēdū est uestibus esse indutos. Ad quod (quantū ego ex illorum libris colligere possū) hæc responsio dāda est, q̄ postq; beatitudine sempiterna donata fuerint corpora eorum qui hic sancte uixerunt, nullus erit uestiū usus. Perfectior quippe est status beatorum, q̄ eorum qui in innocentiæ statu erant cōstituti: sed cum hijs ante peccatum commissum non fuerint uestes necessariæ, ergo nec illis erunt: qui nunquam casuri diuino spectaculo fruūtur. Sic enim habendū est, tū domos, tum item indumēta ad obtegēdas turpitudines fuisse inuenta, quæ nō palā honeste retegerētur. suffunduntur quippe hoīes oēs rubore: si uerenda nudētur, quoniā in ijs quidam patibilis ardor, & pruritus insurgit cōtra rationis imperiū, quod cū in electis non erit, proculcatis nimirū oībus affectibus, & diuino igne, materiā cōsequentibus scybalis, atq; passionibus cōsumptis: nihil sane est, q̄ uestitu indigeāt, sicut nec primi illi hoīes, qui nudi testāte scriptura cū essent, atq; agerēt, nihil perinde ac si nullū malū esset, pudescebāt, sed cū deliquissēt, exarserūt in utroq; quadā libidine partes generatiuæ, quod āte nō fuissēt perpessi, & feruore quodā in Venerē fuerūt incitatæ, & peccatū deniq; pœna cōfestim ruboris cōsecuta est.

quæ

quæ nulla in beatitudine illa eſſe poteſt, quam eſſe ſtatum omnium bonorum adimpletione perfectum diffinimus, impletis ſcilicet potentijs omnibus: & ſuſcipientibus omnem felicitatem quam recipere unus quiſque poſsit. Quamobrem nec ueſtes in illis aliquid efficerent, non minus enim cernerēt beati, cor, & inteſtina, & reliqua uiſcera aliorum beatorum, ꝙ uultum, & extimas partes, quoniam & cogitationes aliorum non minus quàm proprias cognoſcunt, quas ſi appeterent percipere, nec daretur, non plene eſſent beati. & ut ſatis recte Auguſtinus in libris quos de ciuitate dei inſcripſit: non magis in uita æterna de pudendorum nudatione erubeſcent, ꝙ de pulchris oculis, aut manibus, quas intuemur, nec enim erit ullus acceſſus ad fœminam, nec carnis irritatio: quod ſatis ſaluator reſpōdens Saduceis inſinuauit, cum diceret eos neſcire uerum ſcripturarū intellectū, nec enim poſt reſurrectionem, aut nubere fœminas, aut duci uxores, ſed manere omnes ſicut angelos dei in cælo, qui ulla neſciūt connubia, nec ulla apud eos Talaſia in nuptijs concinūtur, qualia Romani quum domum ducebant nouas nuptas, de more dicere ſolebant. Chriſtū quoq; qui nobis ſaluti fuit, gentibus ludibrium, Hebræis autem ſcandalo, nullis ueſtibus ad tegēda uulnera indigere affirmant, quando eorum manifeſtatio illi ſit glorioſa, debellato per illa diabolo, cui genus erat totum humanum obnoxium: & deuicta morte, regnique ſempiterni gloria ſuis fidelibus parata. Quin nullam eſſe turpitudinem, nec membrorum ullam fœditatem: ut tegumento ſit opus, in illa bonorum omnium poſſeſsione firmiſsima manifeſtum eſt, cum potius magnam luminis uim atque ſplendoris ex illis glorioſis corporibus exire: illuſtrantis, atque nitere facientis omnes particulas credibile ſit. Angelos etiam in corporibus aſſumptis, ſi ueſtibus, ſeu ſtolis adamictos legamus, ideo eos ſic apparuiſſe: quoniā cū hominibus erant uerba facturi, qui ueſtibus obtecti incedunt, non quia per ueſtes acciperent, ut poſſent uideri: aut ut partes corporis inhoneſtas obtegerēt, cū corpus ſolū concreto ex aere, & condēſo, imaginariū: nō uerū & ſubſiſtēs haberēt: intelligēdū eſt. Addūt præterea redēptorem noſtrū (cuius nomē eſt ſuper omne nomē) poſtꝙ ſurrexit à mortuis, diſcipulis nudū ſe exhibuiſſe uidēdū: cū Thomæ dixerit, infer digitū tuū huc, & mitte manū tuam in latus meū, & in fixuras clauorum, & diſcipulis: palpate & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa nō habet. Sed quodāmodo uidemur noſtros limites egreſſi, quare relato pede ad Lyceū & Peripatū ueſtigia cōferamus: ut intelligamus ꝙ recte Ariſtoles totius philoſophiæ hypatus atq; coryphæus de pudore ſēſerit: qui eū à uirtutibus ſeiūxit, ſed illius audiamus ſētētiā. Pudor (inqt) affectus & paſsio magis eſt, ꝙ uirtus & timor quidā eſt īfamiæ, & potius metus quidā dedecoris eſt, ꝙ ꝗ ī eo ſit uirtutis aliqua ſignificatio. nō etiā ſit ſine corpore, quod habitibus ſtudioſis cōuenit. Quo-

niã si uirtus esset: omni cõpeteret ætati, at senẽ nemo (inquit) laudauerit, qui pudibũdus sit, iuuenes autem pudorem ideo decere, quoniã cũ sint ad uitia procliues à pudore prohibeãtur, quin & à uiro probo omnem abesse debere pudorẽ asserit, nec enim uir probus res malas uel simpliciter, uel uulgi opinione aget, quòd si rem aliquã turpẽ inuitus fecerit, non ideo pudescere illũ debere, quoniã de ijs quæ nõ spõte fiũt, nullus uerecundatur, erit uero pudor non simpliciter, sed ex suppositione bonum, hoc est si cõmisit quis turpia, ut pudore afficiatur est probi, quamq; operæpreciũ sit, ut nihil pudore dignum efficiat. Quod itaq; Aristoteles ait, à quo (ut fateri nõ pudet) totius bonæ doctrinæ elementa desumpsimus, uerecundiam quidem laudabilem esse, sed non uirtutem, ego quidem non uideo, quid sit laudabile, quod non sit studiosum, ab eodem certe magistro didicimus, pulchra seu honesta laudanda, turpia autem uituperanda esse, & quòd laudabilium genera sunt uirtutes, turpiũ autem uitia. Nam quod ait uerecundiam semper ex malo commisso procedere, non omnino probo, est enim quidam pudor, qui & si nihil uitiosum commiseris, tamen ubi sis coram præstantiore constitutus, sequi solet, & qui pueros bonæ indolis, atque ingenuæ, ex optimis parentibus educatos maxime deceat, qualis ab Homero tribuitur Helenæ dum ad Priamum inquit.

O metuende mihi semper, multumque tremende,
Chare socer.

Et Vlixes ad Nausicaam, ô mulier ualde te metuo, & admiror. Rursus (ut idẽ Aristoteles ait) duplex est timoris species, altera cum pudore & uerecũdia, altera cum odio coniuncta est, illam pudicas mulieres erga uiros, & liberos erga parentes modestos, & ciues ad bonos gubernatores decere, hanc autem seruos in dominos, & omnes bonos in tyramnum habere arbitratur: nec enim amor unquam laudatus est sine pudore, & reuerentia. Sic angelos orationem deo cum magno timore, & gaudio fundere nos docet scriptura, non quoniam aut timeant de casu, aut iram diuinam perhorrescant, nec enim beati ita censerentur, aut quia peccati uitijue alicuius compotes fieri poßint, sed quoniam ita comparatum natura est, (nec enim quis deteriorem reueretur) ut erga meliores uel sapientiores, huiusmodi affectus habeamus. Ad eum modum plures uideas, qui pudore coram aliquo quem diligunt, affecti: non solũ non putant turpe uerecundiã, sed gaudent in hoc maxime, atque sibi in hoc mire cõplacẽt. Quòd si obijtiatur aliquos ideo pudere, nõ quia rẽ turpẽ cõmiserint, sed quia metuant, ne in hoc incidant, nõ uideo cur hoc uirtutis non sit, cuius opus est non solum agere honesta, sed etiam fugere atq; recedere à prauis. Iã uero quod uult Aristoteles uirum studiosum non solum à turpi facto, sed etiam ueluti Cæsaris uxorem

ab omni calumnia alienum esse debere, dum prohibet eum ne turpia factu dumtaxat, sed & opinione hominum perpetrare audeat, qualiter hoc constare possit uiro sapienti, si habendam uulgi rationem autumat, nõ capio. Quandoq; enim uir bonus & pius cedet iniuriam facientibus, nec tamen pudore afficietur, quòd succubuit, cum apud eum uirtus sit potior, quæ monet ne lacessitum quidem ad iram prouocari: sed condonandas esse iniurias patientia. Quin & uir, qui deo placere quàm idolis gẽtium magis uult, mactari & interfici millies ante sustinebit, q; q; thura tribus digitis comprehensa inijtiat in ignes deorum, quod tamẽ stultum uulgo putatur. Quid igitur, an quia stulta hæc putantur, seruum fugitiuum à precone cum damno magno meo, & domum pestilentem denuntiari non iubebo: cum uendo? aut argentum quod mihi pro plumbo uenditur, non indicabo: ut meo seruiam compendio? uel aurichalcum ab ignaro uenditore putatum non ostendam esse aurum: ut minoris emam? calliditas hæc est, & deceptio, & maxima sapientia meo iudicio uideri debet, si quis quantumuis ab omnibus stultus computetur, neglectis proprijs commodis unicam ueritatem anteponat. Stultus creditur homo ille iustus, qui tabulam naufrago, aut equum sautio non adimit, quo uitam suam liberet, & tueatur, atqui non potest mea sententia non summe sapiens esse, qui mori malit, ne alteri noceat: & quo incorruptã seruet innocẽtiam: proprijs non dubitat dãnis pacisci. Stultitia præterea hominum, summa sapientia est apud deum, altius autem cristas erigens, & se extollens sapientia, summa stultitia deo reputatur. Nam omnes qui se philosophos uocauerunt, quamuis miro studio inquirendæ ueritatis exarserint, ueri inscitiã ipso nomine profitentur. Superiori autem hominum ætate anteaq; philosophi nomen passim usurparetur, pauci quidam numero (nam septem fuisse memorantur) extiterunt, qui sapientum hoc est hominum titulo censerentur, quos æqualiter deus genuit ad sapientiã, sed & ij quoq; longe aberant, ut digni tãto essent cognomine, quia nemo uere sapiẽs iuditio stultorum esse potest. Quãdo igitur apud eos qui sapientiam profitebantur, non sit inuenire ueram sapientiam, & alicubi reperiatur necesse est, ea ut apud eos qui stulti putantur, cõmoretur oportet. Apud gentes quæ uirtutem nudam sequebãtur, hominemq; morte consumi putabant: stultissima quædam res uirtus erat, quæ nullum præmium laborum reciperet: & mille calamitates sustineret in uita ob frigidum dumtaxat nomen uirtutis, quæ nullam esset recõpensationem habitura, nos autem qui huius uitæ mortalis spretis blanditijs: & allectamentis, altiora sapimus, quia uitam æternam in precium (si constanter in perferendis, non autem irrogandis pro amore & fide dei erumnis perstiterimus) speramus, stultissimi omnium existimamur, quia omnia quæ misera sunt, uel creduntur, pro deo non dubitamus perferre, quem

terrenæ mentes, oculo animæ purgato suscipere non poterant. Voluit enim deus uelamento stultitiæ: ne archanum sui diuini operis in propatulo esset, thesaurum ueritatis suæ & sapiētiæ abscōdere, ut sapiētiā humanā pessundaret, & ut difficultate ob oculos posita, quādo quilibet sibi ea proposita uideret, quæ qui faciūt, stultissimi iudicātur: perseuerantes, & omnia, uitam scilicet atque opes, quas uulgus admiratur, & nos deniq; ipsos negligentes in gloriā dei, æterna gaudia mereremur. Ergo iam ut ad Aristotelem tendam, non uidetur satis naturam uiri probi diffiniuisse, nec recte illi agendi materiam præscripsisse dicens: nec secundum ueritatem, nec secūdum opinionē turpia facienda esse, quia uulgi animis stare nos præcipit, quod nunq; non errat atq; labascit. Sed nec merito amicos illos Pythagoreos laudabit, quorum alter uadem in periculo capitis pro amico se obtulit, alter ad constitutum tempus reuersus, sponsorem suum qui iam ad mortem ducebatur, suo aduentu redemit, quia & si opus studiosum, & tyrāno ipsi admirabile fecerunt, qui melioris uitæ deinceps assecla esse cepit, contra tamen, q; populo uidetur, qui uitium putat propriæ uitæ non parcere, ut alienæ parcas, & cum periculo uitæ iustum esse, id ipsum quod laudant, & extollunt, illi sunt operati. Atq; ut Aristoteli respondeamus unico uerbo, dicimus iustum quamuis turpia aut nephanda, hominum temeraria existimatione perpetret, non ideo pudescere, aut rubore ullo suffundi, quia magis propriæ tribuat conscientiæ, quæ nullius sibi sceleris pudendi est conscia, q; uulgi rumusculis ducatur. Aristotelē autē ideo puto hallucinatum, quia hominem studiosum credebat, si aliquid turpe secundum uulgi opinionem egisset, pudore mox iri suffusum, quem tamē omnis affectus expertem esse uoluit, atque huius præcipue qui ex turpium cōscientia oriri credebatur. sed cum Aristotele fortassis plura. Stoici uero audiendi non sunt, qui omnes affectus audaci proposito, tāquam praua opiniōe hominum in nobis genitos extirpare nituntur, quia dum affectus tollunt, hominem ipsum quasi excastrāt, & ad ignauam & segnem, atque inertem uitam transferunt, & affectibus carentē, dum cupere, dum pudere, dum misereri, dum metuere, dum denique irasci prohibent, qui quidem tum demū laudandi essent, si efficerent ullatenus, quod intendunt, quod tamē impossibile factu est, non minus q; naturā immutare, non enim ij nobis minus sunt naturales, q; cani latratus, & amor, & caudæ blandimenta erga notos. aut ceruo timor, aut leoni feritas, aut ira feris, aut anguibus uenenum, aut placiditas pecudibus: quos si quis affectus ex illis euellere uelit, facilius animal interficiat, q; quicq; immutet. ira namq; ex cordis ebullitione naturali ui procedit, iecori tanq; præsepio cupiditas alligata est, gaudium lienis beneficio prouenit, quas passiones in nobis nō est compescere ne nascantur, earum uero augmētum prohibere possibile. Sed nec Ari

stoteles qui omnes effectus in medio laudauit, ueritatis calle processit. Est enim cum summe pudescere si pro crimine sit, non sit uitiosum, at uel paruus pudor peccati crimini datur. Quin & libido si extra legitimum thorum non euagetur, quamuis sit uehemens, culpa uacat, si autem alienum appetat, quamuis leuiter: non caret crimine. Metus item si dei sit, nihil est, cur quãuis maximus nõ approbetur. Sed quid ago? nec uidere illi deũ, nec ad illũ referre quidquã potuerũt, quibus ille nõdũ se reuelare est dignatus. Stoici autem dum hoĩes eneruant ueluti, non multum absimiles sunt rustico illi colendi ruris insolenti, qui quoniam uicinum uidisset fraxinos deputãtem, stolones uitium, atque olearum proceros abscindentem, putans se nactum iam rei rusticæ disciplinam, ad agrum quem in propinquo mercatus fuerat properans: oleam sibi, atque uitem omnem miser detruncat, comas arborum lætissimas, uitiumque uberrimos palmites decidit, atque cum luxuriantibus & caprientibus arborum ramis, cum sentibus, & rubis, fruteta quoque & uirgulta frugibus, pomisq; gignendis fœlitia purificãdi agri gratia conuellit, quem enormis ille ex ultima Barbarie oriũdus: dum mundare & auerruncare cupit, euertit, quod stoici haud dubie faciunt, qui uehementioribus omnibus animi affectibus amputatis, hominem carentem materia in quam uirtutem exercere possit, relinquunt. Si datur laudi Platoni: q ad amicum cõuersus, percute tu (inquit) seruum, nam ego sum iratus: & Charillo regi, quod ad quendam, qui se audatius cum illo gerebat: responderit, per deos te interfecissem, nisi essem iratus. Si (inq̃) maxima uirtus est, iræ nõ cedere, atque in medio iracundiæ feruore sibi temperare, caret ergo uirtute, quisquis ira caret, quam reprimat. Si uirtus est cupiditatem ab alieni appetitione refrenare, nullam certe uirtutem is potest habere, qui nihil cupit: quod uirtutis usus cohibeat. Si uirtus est, libidinem corporis cõtinere, cum maxime turget: careat uirtute necesse est, qui nunq̃ libidine stimulatur, qua extincta laudandus esset. Vbi ergo non sunt uitia, ne uirtuti locus est quidẽ, sicut nec uictoriæ lætæ ubi nullus est aduersarius. Nos itaque emulati naturam, quæ honestissimas partes atque decoras in uultu omnium conspectui posuit, at turpes (quarum usus est quamuis necessarius) abdidit, atque occultauit, illam (inq̃) nos imitantes: pudorem atque decorum imprimis seruemus, nec cynicos audiamus, qui quod factu turpe non est, non obscene dici putant. Sed prudentes & docti homines, earum particularum opus: quibus aut prospicimus generi, aut corpus saburra grauatum, à sentina atque recrementis expurgamus, nec in propatulo exercent, nec nominibus appellant suis. Canini autem illi philosophi nobis ideo sunt ex hoc albo reijtiendi, quia multa sunt ut latrocinari, adulterari, stupra committere, quæ re turpia sunt, sed dicũtur non obscene, contra liberis dare operã, urinã reddere, aluum deponere, re ipsa hone-

hōnestum est, sed obscene proprijs nominibus appellantur. Verecundiā ergo tum dictis tum factis exercentes, meminerimus nō debere esse nos deteriores scænicis, quibus mos inualuit, ut nullus sine subligaculo prodeat in scænā, metuentibus ne si aliquo casu euenerit, ut corporis quædam partes aperiantur, non decoræ appareant. Quod si Romanorum uerecundia hunc morem seruauit, ut cum parentibus puberes filij, cum soceris generi nō lauartur, nos æterno deo mancipati: q̄tū operæpreciū est ut puris manibus atq; corde imprimis circumciso, (cuius imaginē gerebat tipycæ circuncisio glandis, cordis aliquatenus figurā referētis, tradita Iudæis) ad diuina deo seruituri accedamus, & huius generis uerecundiam retineamus? Hinc enim uetitus ueteri lege porcus immolari, ut exemplo sordidi & lutulēti animantis, humilia sapientis, cœno se uolutantis, nūquā alta suspicientis, munditias amaremus, & spretis terrenis, sublimia & cælestia cōtemplari doceremur.

DE inuerecundia eo tractatus nobis facilior erit, quia multa iam de pudore præstrinximus. quare aliqua dūtaxat exempla proferamus, quæ memoria in præsenti subministrat. Fuit nō multo procul ab ætate nostra, quidam in libidinem mirum in modum procliuis, quam exquisitissima immo nephanda ratione incitabat, iubebat mulierem quam amabat, ut tergus sibi atq; scapulas ualidissimis uerberibus urgeret: atq; affligeret, quod quò illa fortius fecisset, & executa esset, tanto magis ille Venerem sentiebat sibi dulciori esse uoluptati, ad hanc rem pridie funē dabat aceto macerandā, qua sibi artus cæderentur, unus plane homo (nisi immanis potius bellua dicenda est) qui inter grauissimos cruciatus innocentissimorum membrorum, quæreret uoluptates. hunc morem à pueris reseruauit, inter quos dum esset, ita inter eos cautum erat, ut pudicitiā mutuo probe flagellati prostituerēt. Philoxenū Erixium, & Gnatonē Siculum opsonatores nobiles, immo gulæ proceres & ganeones perditissimos, in catinum & patinas epularum solitos se emungere legimus, ut cæteris abstinentibus ob spurcitias, ipsi soli citra emulum dapibus ingurgitarentur. Diogenes quum non tam cito quàm uellet aduocata meretrix aduentaret, ipse manibus mutonē contrectans, inuerecunde apud se Venerē exercebat: quod cum aliquando mulier cōquereretur, festiue inquit, manus Hymenæum celebrando, te præuenit. Idem quum Venerem in cōspectu omnium more ferarum exerceret: interrogatus à quodam quid faceret, hominē (inquit) semino. Non caruerunt adulationis uitio summi philosophi: quæ ad inuerecūdiā proxime accedit. Sed duo ante oēs Plato & Aristippus hac ignominia notātur, quorum alter cum ob assentationē, quam tyrāno præstaret, suggillaretur, respōdit: piscatores quo paruulum caperent gobiū, marina se conspergi patiuntur, me autē quæ

inuidia est, quo magnum tyramnum accipiam, si dum conspuor uino & aqua mixtis ex ore tyramni perfundi facile tolero? amarulenter item in Platonem Diogenes cum diceret se tantum oleis cōtētum uictitare, an nō erant (inquit) Athenis oleæ, ut tu tertio in Siciliā olearū gratia nauigares. Demonax quæsitus quid haberet: cur ad philosophias se conferret, testiculos coleosq; respōdit. Vetula quoq; illa nō prætermittēda est, quæ dum Veneris delectationem uidendi muneri cui insigniter Venerea officiūt: prætulisset, omni pudore deuorato, uale (inquit) charum lumen. Alexander quoq; in Philippum impudentior fuisse traditur, cypho in eum misso, contra quē cū insurgeret pater, hastā uibrās, & ob iram cecidisset, ut lancea aberraret, uidete (inquit) ô uiri, parat ex Græcia in Asiā cū exercitu traijcere, qui ex uno sedili in aliud assurgens concidit. ascalaphus quoque ob impudentiam, in bubonem dirū omē mortalibus, transmutatus fertur: quia Persephonæ impedimento fuit, ne in cælum remearet, accusans quòd septem grana ex pallido mali punici cortice decerptos comedisset. Postremum illud sit atticos omnium impudentissimos fuisse habitos, unde atticus aspectus pro impudenti in prouerbium abierit. namque Theophrastus auctor est aram impudentiæ apud atheniēses dicatam: solebat nempe ea gens quæcunq; magnā aliquam utilitatem cōtulissent, consecrare. De impudentia sic Theognis. Iam nunc pudor ex hominibus perit, uerum impudentia per terram extento passu uagatur. Euripides autem ita ait. Nō hoc est audatia, aut fortitudo, si amicum bene meritum obuerso uultu respicias, sed maximus omnium qui hoībus adueniunt morborum impudētia. at Theogonus in hāc scriptum reliquit sentētiā. Humana omnia cōsenescere sunt nata, & quæ in tēpore uersantur: ad finē declinare solent, præter solā impudentiā, hæc enim q̄to magis augetur hominum genus: tāto per singulos dies euadit maior. Menander optimus hunc in modum. ô maxima dearum nunc existens impudētia, si deā te uocare oportet, præstat autē: quod enim præualet, hoc nūc deus putatur. Herodotus uero sic, simul ut pallium exuit, & pudorē exuitur mulier. à Xenophonte accepimus: q; eum qui gratiā nō refert, maxime sequitur impudentia quæ maximū supra uitia omnia crimen uidetur. Sed de pudore, & impudētia satis pro tēpore, de ueritate & mendatio, alio loco docebimus, ut uel saltim nos aliquādo uixisse testemur.

FINIS.

IMPRESSVM EST HOC OPVS DE OCCVLtis Proprietatibus, & liber de Pudore, Antonij Lodouici medici Olyssipponensis, mense Martio. anno domini M. D. XL.
OLYSSIPPONE.

Digito compesce labellum.

Melior est sapientia: quàm uasa bellica.



Nullus propheta sine honore, nisi in patria sua.

Occupatis nihil scribo meum.



colorchecker CLASSIC

calibrite